TOMVS TERTIVS

APPENDICES TRES

SCILICET

I. Ad Ruthenos Dissidentes: II. Ad Protestantes, aliosque Sectarios: III. Apologetica pro Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia ad Dissidentes Græcos, nec non ad Protestantes, prætensos Reformatos, cæterosque Sectarios.

APPROBATIO

E lucubratas diligenti studio, ac docta penna conscriptas a Perillustri Rev. Domino, Don Septimio Costanzi Presbytero Sæculari S. Theologiæ Doctore ad edita in publicum Opuscula de Primatu & Jurisdictione in universum Orbem Romani Pontificis, ac de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, Appendices; jubente Rmo Patre Thoma Vincentio Pani Sacri Apostolici Palatii Magistro, qua potui maxima animi vi, & attentione iteratis vicibus perlustravi, nec possum verbis, ac calamo satis exprimere, quantum inde voluptatis hauserim, cum & eloquentiam sine affectatione, & veritatem sine fuco in iisdem observaverim, & non solum nihil quidquam, quod Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, atque Christianis moribus adversetur, offenderim; verum quoque animadverterim omnia ad veritatis Canones exacta. Quinimo considerando ardentem in convincendis de veritate fidei orthodoxæ Hæreticis Auctoris zelum, ingeniosam pro revocandis ad unum in Vinea Christi Ovile sub uno visibili Capite Supremo Pastore Romano Pontifice cujuscumque generis Dissidentibus methodum, ac sanam in discernendis circa veritatem Sacræ, ac profanæ Historiæ certis a dubiis criticen, profundam ejusdem cum mirifico nihilominus in decertando cum Doctis & Litteratis humilitatis exemplo doctrinam sum admiratus. Opus itaque tantis refertum virtutibus, quantum ex me est, dignum esse censeo, ut in publicam prodeat lucem.

Datum ex Hospitio SS. Martyrum Sergij & Bacchi die 23. Maii 1807. anno.

Jordanus Michiewiez Ordinis S.Basilii M.Congregationis Ruthenorum Procurator Generalis, Hospitii SS. Martyrum Sergii & Bacchi in Urbe Rector. m. p.

Manuscriptum, cui titulus „ Appendix II. Ad Lutheranos, Novatoresque Sectarios postremæ ætatis „ attente perlegi, in eoque deprehendi Catholicæ Religionis dogmata adversus eosdem homines ineluctabilibus argumentis propugnari. Censeo propterea magno futurum esse emolumento, Theologiæ præsertim studiosis si Manuscriptum hoc una cum Opere, ad quod pertinet, Typis publicum reddatur.

Ex Conventu SS. XII. Apostolorum die 6. Junii 1807.

Fr. Bonaventura Bartoli Min. Conv.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro

B. Fenaja Patriarcha Constantinop. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Joannes Baptista Chiesa Ord. Præd. S. P. A. Magist. Socius.

SCHEMA

APPENDICIS PRIMÆ

Ad Ruthenos ab Ecclesia Catholica Romana Dissidentes.

I. Propositum, ac rationes scribendi . . . . pag. 1

II. Plurimi ex Ruthenis semper veram Catholicam finem retinuerunt. Probatur id ex historiis . . . *ibid.*

SS. Methodius, & Cyrillus Sæc. Ecclesiæ IX. Evangelium annunciavere Populis Ruthenæ genti finitimis 2

Sacris Scripturæ Paginis in Slavam linguam translatis a Sanctis istis Evangelii præconibus quum utantur Moschovitæ, id argumento est, eorum prædicationem ad Russiam etiam pervasisse . . *ibid.*

SS. Methodius, & Cyrillus Romano Pontifici adhæserunt . . . . *ibid.*

Hos nedum Sedes Apostolica ut Sanctos colit, sed & Rutheni, qui insuper eos habent, ut Apostolos suos 3

Qua de re fatentur ipsi Rutheni illos Dei Servos, qui in fide, & societate Romanæ Ecclesiæ in omnibus perseverarunt, Beatorum honoribus dignos esse . . . . *ibid.*

III. Eadem omnino recurrunt quoad alios Dei Servos, quos venerantur S. Sedes, atque Rutheni . . . 4

IV. Sequentibus ab accepta Catholica fide sæculis Natio Ruthena Romanæ Ecclesiæ conjuncta, in ea constans permansit 5

V. Phocyeus erroribus Græcorum imbutus sategit cancro hæreseon inficere Kiovienses; sed frustra . . 8

Hinc Metropoliticam Sedem Moscuae invasit, venenoque haeresis aspersit gentes, quibus Basilius Basilides principabatur . . . . *ibid.*

Unionis Florentini Concilii, hinc Graeca Ecclesia in anarchiam conversa est . . . . *ibid.*
XV. Infelix admodum spiritualis anarchiae status, in quem ruunt qui a Supremo Ecclesiae Capite Romano Pontifice sese subducunt 23
Ex quo Rutheni Summo Pontifici obedire detrectarunt, in Schisma, & hareses prolapsi sunt. . *ibid.*
XVI. Formula S. Hormisdae PP. Regula fidei est . . . 24
De fide sunt omnia, quae docet ut dogmata fidei Catholica Romana Ecclesia 25
Haec *semper* de fide sunt, ac proinde qui ab hac fide quocumque tempore desciscunt in haeresim, ac Schisma incidunt . . . . *ibid.*
Qui in omnibus non censentiunt Sedi Apostolicae in poenam haresis, & schismatis incurrunt . . . *ibid.*
XVII. Natio Ruthena Dissidens in profundum ruit Anarchiae 26
XVIII. Romanus Pontifex Caput visibile est Corporis mystici Jesu Christi; unde ei adhaerere necessarium est cuique Catholico 27
Praeter invisile Caput Jesum Christum oportet Ecclesiam Caput habere visibile . . . . . . *ibid.*
XIX. Quum Ecclesia una sit, sequitur eam esse veram, & Catholicam, quae est sub Capite Supremo visibili Romano Pontifice. 28
Probatur aliis etiam argumentis necessitas Capitis visibilis in Ecclesia. 29
XX. Calumnia est, quod Romani Pontifices ad terrenam in universo Orbe Monarchiam acquirendam sitiant 30
Definitio Concilii Florentini de Primatu Summi Pontificis omnem excludit ideam universalis terrestris Monarchiae 31
XXI. Nos autem unam fidei definitionem a Conc. Florentino editam asserimus. 32
Et quaestiones inter DD. Catholicos actas nec ab Ecclesia definitas in suo statu relinquimus . . . 33
Absurda res est ab Ecclesiae Catholicae fide, & communione recedere intuitu quaestionum,

quae salva eadem fide disputantur . . . . . ibid.
Respondetur convicio de addita Symbolo particula - Filioque - 34
XXII. A prima Ecclesiae aetate Romam itum est, tamquam ad Catholicae communionis portum tutissimum . . . . ibid.
Exhortatio 35

SCHEMA

APPENDICIS SECUNDÆ

Ad Luteranos, Novatoresque Sectarios postremæ ætatis

I. Occasio scribendi 36
II. Proœmium . . . . ibid.
III. Vocatio ad Ecclesiam Catholicam 37
Plurimi inter Protestantes ab Augustana, aliisque suis confessionibus recedunt 39
Quare de principiorum suorum levitate admoniti cogitare cœperunt de reditu ad Catholicam Ecclesiam . . . . ibid.
Fatentur Protestantes, Lutherum licentiam sibi sumpsisse cudendi novas doctrinas adversus Ecclesiam Catholicam 40
Concordia cum Novatoribus revocanda est ad ea dogmata, quæ Ecclesia semper usque ab initio tenet, ac docet . . . . ibid.
Ecclesia jugiter docuit quid credendum, & agendum; qui autem ei se adjungere volunt ipsius doctrinam ut Verbum Dei suscipere debent . . . . ibid.
Regula fidei una est 41
Cui qui pertinaciter obsistunt ad Ovile Christi non pertinent . . . . ibid.
Fidei, & Communionis unitate sub uno Capite, maxime continetur universalis Ecclesia a Congregationibus hæreticorum distincta . . . . ibid.
A primis usque Ecclesiæ temporibus qui Sacramentum Baptismatis accipiunt ab Ecclesia instituuntur, nec proprio sensu Sacras Scripturas interpretantur . . . . ibid.

Hoc instituto Ecclesia primum ex Judæis; dein accessione Gentium aucta est 42
Ab his initiis nusquam Ecclesia deflexit; neque aberravit in suis institutis . . . . ibid.
Ab hac forma longe absunt Congregationes Hæreticorum, in quibus magna dissentio circa credenda . . . . ibid.
Quare ipsæ non possunt uti formula: *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis* 44
Numquam dubitatum est quin ad regulam fidei pertineat quicquid ab Ecclesia Catholica definitur . . . . ibid.
Quod insigne hæreticorum Sectæ sibi tribuere nequeunt . . . . ibid.
Sola Catholica Ecclesia est Columna, & firmamentum veritatis 45
Non potest Ecclesia quoad credenda aliquid remittere . . . . ibid.
Verum omni poscenti rationem reddit, & ad se revertentes ut Mater complectitur 46
Nequit dissimulari Suprema Romani Pontificis Auctoritas . . . . ibid.
Quam non terrifico dominatu; sed ut Pater exercet . . . . ibid.
Magnum Dei donum vocatio ad fidem; & enixis ab eo precibus implorandum 47
Cohortatio . . . . ibid.

CAPITULUM I.

Ecclesia Catholica, quæ est sub Romano Pontifice Christi vera Ecclesia est; reliquæ adulteræ . 49

CAP. II.

Christi Ecclesia visibilis est 51

CAP. III.

Commentum hæreticorum est, regulam credendi

fide Divina constituere in Spiritu privato a Novatoribus conficto 55

C A P. IV.

Ex hæresi Spiritus privati a Novatoribus invecti absurda, & impia consequuntur; & abundantius probatur insania Auctorum, & sectatorum istius doctrinæ 59

C A P. V.

Una Ecclesia Catholica, quæ sub Romano Pontifice consociatur *Apostolica* est; Sectæ reliquæ a Patre Diabolo sunt 63

C A P. VI.

Quæ Ecclesia Catholica de fide tenet, ac definit dogmata fidei sunt; omnia autem his contraria, quæ Sectarii spargunt, hæreses sunt 68

C A P. VII.

Vera doctrina J. C. ea est, quam Ecclesia ab initio tenuit; hanc autem tradit etiam nunc una Ecclesia Catholica Romana 69
Ea doctrina falsa est, quam primitiva Ecclesia damnavit; talis vero est ea, quam Novatores recenter invenerunt . . . . *ibid.*
In Ecclesiæ Romanæ fide, & communione viventes salvari in æternum possunt; ergo pessimo consilio Dissidentes ab ea manent divulsi . . 72
Ecclesia Catholica nusquam, nec a tertio æræ Christianæ sæculo deficit 73
Ecclesia Catholica Romana iter ad cælum proponit arctum, & per angustam portam; igitur vera est Ecclesia; e contrario falsæ sunt Societates Dissidentium latam sterentes viam ad salutem 74

Contra eamdem Catholicam Ecclesiam insurrexerunt portæ inferi, quin prævalerent adversus eam, non autem contra Dissidentium Societates; igitur illa vera est Christi Ecclesia, hæc autem adulterinæ Sectæ dicendæ sunt 75
Dissidentes, quoniam extra Catholicam Ecclesiam Romanam vivunt, animi requiem habere non possunt 77

CAP. VIII.

Ecclesiæ Catholicæ ut verissima dogmata, purissima moralia documenta; ita sancta in pluribus membris suis conversatio: In Sectis autem hæreticorum a Divino timore abalienatio 78
Tertulliani exhortatio 79

SCHEMA

APPENDICIS TERTIÆ

Apologeticæ pro Sancta Ecclesia Catholica Apostolica Romana

Ad Dissidentes Græcos, Protestantes, prætensos Reformatos, cæterosque Sectarios.

I. Admonitio 80

II. Photii, & Cerularii damnanda agendi ratio . . ibid.

III. Accusationum capita in Latinos a Photii virulento stomacho rejecta 81

IV. Alia a Cerulario amaro animo contra nos prolata . 82

V. Ratio præsentis Orationis nostræ cum Dissidentibus Græcis, atque Ruthenis . . . . ibid.

VI. Cordatiores inter Græcos cognoverunt, & fassi sunt rectas esse doctrinam fidei, & consuetudines Latinorum 83

Græcorum schisma opus fuit Novatorum Photii, & Cerularii 84

VII. Dissidentes Græci ii fuere, qui Catholicam fidem deserentes Schismatis tubam insonuerunt; eaque de causa Latini ab illis se subtraxerunt . . ibid.

Iidem Græci unice ob amaritudinem animi Ecclesiæ Latinæ terga verterunt 85

VIII. Odium, & invidia causæ persecutionis Photianæ contra Summum Pontificem, Ecclesiamque Latinam . . . . ibid.

1. Ad honorandam Christi Domini sepulturam in Romana Ecclesia Sabbati jejunium piissime servabatur, non autem spiritu Manichæo; & multo ante ortum hæresis Manichæorum 87

2. Modus jejunii ante-paschalis in Ecclesia Latina servatus Apostolicæ traditionis est ; ideoque sanctissimus 89
Variæ in Catholica Ecclesia observantiæ, ea non prohibente, reprehendi nequeunt 90
3. Lex continentiæ Majoribus Clericis, Presbyterisque Latinis ab Ecclesia imposita justissima est, eademque sanctissima 91
4. Latini eos, qui confirmati fuerint a Sacerdotibus Græcis tunc denuo inungunt; *absolute* si constet inaniter fuisse confirmatos ; *sub conditione* autem, si de hoc prudens dubium occurrat . 93
5. Processionis Spiritus Sancti a Patre, & Filio dogma asseruimus in altero singulari Opusculo nostro 94
6. Quod Romana Ecclesia Chrisma ex aqua fluminis conficiat, calumnia est . . . . *ibid.*
7. Mendacium itidem, quod Latini in Paschate Agnum super Altare una cum Corpore Christi benedicant . . . . *ibid.*
8. Et falsum pariter, quod apud nos Diaconi non suscepto Presbyteratu Episcopi ordinentur . 95
9. Inepta est objurgatio in Latinos jacta, quod ipsi barbam radant . . . . *ibid.*
10. Evincitur, quod dogma fidei est, sive in azymo, sive in fermentato pane triticeo vere confici SSmæ Eucharistiæ Sacramentum : Sacerdotesque in altero conficere debere iuxta suæ Ecclesiæ consuetudinem 96
11. 12. Nullum hodie præceptum urget abstinendi a suffocatis, & animalibus, quæ immunda dicebantur; unde per se loquendo licita est eorum comestura 103
13. Esus carnium a Monachis Latinis quorumdam Ordinum aliquo anni tempore licitus est, nec proinde redarguendus 105
14. Falsum, quod Latini in Missa proferant ea verba „ Unus Sanctus &c. „ quæ Cerularius ipsis objecit 108

15. Criminatio a Cerulario data Ecclesiæ Occiduæ de Matrimoniis duorum fratrum cum duabus Sororibus, aut falsa; aut futilis est . . *ibid.*
16. Nec verum est, quod in Missa Latina Sacri Ministri osculum dent sibi invicem; quum unice mutuis se amplexibus salutent in signum pacis, & Charitatis 109
17. Laudabile, & pium est Episcopos Annulum gestare . . . . *ibid.*
18. Episcopis non licet ad bella cum armis descendere, neque etiam bellare, quod Ecclesia Latina prohibuit; sed adesse ipsos Castris ad spiritualia munia exercenda non solum laudabile, sed & piissimum est 111
19. Baptismus valide confertur sive per unicam, sive per trinam immersionem; sive per effusionem, aut infusionem; sive per aspersionem 115
20. Ritus a Latinis servatus immittendi Sal in os baptizatorum religiosus, & pius ritus est . . . 121
21. Putida, & anilis calumnia, quod Latini nec Sanctorum Reliquias, nec Sacras Imagines venerentur 122
22. Rite, ac recte penes Latinos quadragesimali tempore silet *Alleluja* . . . . *ibid.*
IX. Gravissimum ad Dissidentes Græcos S. Leonis IX. Romani Pontificis monitum 123
X. Ad Neotericos Sectarios convertitur Oratio . . . 125
XI. Calumnia est dicere, quod Ecclesia Catholica tyrannice in intellectum humanum, & in fidem nostram velit dominari . . . . *ibid.*
Ecclesia Catholica nonnisi Divinam revelationem fidelibus proponit 126
Jesus Christus jussit, ut audiremus Ecclesiam . 128
Prætensi Reformati agnoverunt, religioni exitiale esse, quod unusquisque sibi ipsi dictet fidem suam . . . . *ibid.*
XII. Falluntur, & fallunt Dissidentes cum dicunt, Ecclesiam Catholicam dogmatibus suis detrahere meritis D.N.J.C., aut Divinæ Majestati injuriam

Irrogare; insuperque in legibus suis tyrannidem agere 129
1. Ecclesia Catholica dum merita justorum asserit una simul D.N.J.C. infinita merita statuit 130
Gratia Christi necessaria est ad merendum . . . 132
Ecclesia ipsa postulat a Deo gratiam Salvatoris ad salutem 133
Necessitatem istius gratiæ docuit nos Dominus Noster Jesus Christus . . . . ibid.
2. Catholici Romani nullo modo tenent, justificationem ex meritis, & justitia dari 136
Ipsa Ecclesia Catholica Deum orat pro remissione peccatorum . . . . ibid.
Justitia hominis non in sola externa non imputatione peccati consistit, sed in vera animæ ablutione, & infusione gratiæ justificantis . . . 138
3. Satisfactiones nostras pro peccatis esse per Christum Jesum, confitetur Catholica Romana Ecclesia . 142
Oratque Deum pro gratia satisfaciendi pro peccatis prout oportet ad salutem . . . . ibid.
4. Incruentum Missæ Sacrificium, quod in Ecclesia Catholica offertur non derogat Sacrificio, quod Dominus Jesus obtulit in Ara Crucis 143
Exhortatio ad suscipiendam doctrinam S. Concilii Tridentini . . . . ibid.
Explicatur textus Apostoli Pauli *ad Hæbr.* 10. *v.* 1. 12. 14. 145
Christus Sacerdos est in æternum secundum Ordinem Melchisedech 146
Unde necesse est, ut jugiter in æternum sub visibilibus Panis, & Vini Symbolis Sacrificium Deo Patri offerat 147
Quod cum in Cœlo fieri nequeat, restat, ut semper hoc gerat in terris . . . . ibid.
Hoc agit Ipse, qua principalis Sacerdos per Sacerdotes novæ Legis . . . . ibid.
Lex Evangelica suum habeat necesse est visibile Sacrificium 149
Hoc Sacrificium est incruenta Liturgia . . . . ibid.

Quo in Sacrificio oportet sub speciebus panis, & vini, vere, realiter, & substantialiter contineri D.N.J.C. . . . . ibid.
Secus nec differentia ulla esset inter novæ Legis Sacrificium, & vetera legis naturæ, legisque Mosaycæ; quod esse nequit 150
Incruenta Liturgia miro modo extollit valorem infinitum Sacrificii Crucis 152
Prætensi Reformati novo systemate suo fidem Divinam pessundant . . . . ibid.
5. Nec Majestati Divinæ injuriam facit; nec meritis Christi quicquam detrahit Sanctorum invocatio, quæ in Ecclesia Catholica servatur 153
Oramus Sanctos, non ut concedant bona nobis, sed ut intercedant pro nobis ad Deum per Dominum N.J.C. 154
Quod Altissimo gratissimum est, ut liquet ex sacris Litteris 156
Supervacaneum non est Sanctorum patrocinia implorare . . . . ibid.
6. Quod Sacrarum Imaginum cultus a Catholica Ecclesia præstitus idololatriam sapiat calumnia est; jam ante a Iudæis, aliisque hujus furfuris hominibus impicta nobis 157
In Sacris Iconibus nullam credimus inesse divinitatem, vel virtutem; sed honorem, qui eis exhibetur, referri ad prototypa 158
Id non idololatriam, quinimo pium esse probant Divinæ paginæ 160
In Ecclesia usque ab initio Sacris Imaginibus delatus est cultus 161
7. Semper ab ejus exortu Ecclesia Catholica Sacris Reliquiis religiosum detulit honorem 163
Id probat Epistola Smyrnæn. Ecclesiæ ad Ecclesias Ponti de Martyrio S. Polycarpi Sæc.2. . . . . ibid.
S. Tridentina Synodus distinguit cultum Latriæ soli Deo debitum a cultu Iperduliæ, & Duliæ, qui respective exhibetur B.M. Virgini, & Sanctis . 164
Cultum Reliquiis Sanctorum datum evincunt etiam S. Asterius M. Sæc. itidem 2. 165

Nec non Acta Passionum SS. Jacobi, & aliorum plurium in Numidia Sæc. 3. . . . . *ibid.*
Refellitur Dallæus 166
Deus ipse innumeris vicibus miraculorum operatione probavit cultum ab Ecclesia Sanctis præstitum 167
XIII. Quadragesimalis observatio, ceteraque jejunia ab Ecclesia Catholica non spiritu Montanistico, sed Spiritus Sancti afflatu præscripta sunt . . 169
Ab Apostolis Ecclesiæ tradita esse jejunia testantur SS. Patres 170
In Sacris etiam Litteris de jejuniis sermo est . . *ibid.*
Apostoli de Paracleti magisterio jejunavere . . *ibid.*
Item S. Joannes Baptista; Apostolorum discipuli, & primi fideles, qui vixerunt longe ante Montanum 171
Differunt quam longissime inter se mores Montanistarum, Ethnicorumque a moribus Ecclesiæ Catholicæ . . . . *ibid.*
XIV. De cœlibatu Sacerdotum, & Majorum Clericorum Latinæ Ecclesiæ actum est supra 172
XV. Oratio ad Deum . . . . *ibid.*

APPENDIX PRIMA

Ad Ruthenos ab Ecclesia Catholica Romana Dissidentes.

I. (*Propositum , ac rationes scribendi*) Ecce nunc venio ad Vos in Nomine Domini , qui ex inclyta , ac fortissima Ruthena Natione Sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ , quoad nonnulla dogmata , fidem , ideoque cum ea unitatem , & communionem deseruistis , manentibus tamen plurimis firmissime *in iis* , *quæ acceperunt* , *& tradita sunt ipsis ab initio*. Jam multi sunt anni , imo & plura defluxere lustra , ex quo cor meum ardens zelus comedit audiendi , vos nobiscum in eodem sensu , in eademque sententia esse conjunctos , itaut simus unum Ovile sub uno Supremo Pastore Romano Pontifice. Dudum id fuimus , utque iterum simus , & perpetuo maneamus cupio in visceribus Jesu Christi ; desiderio id jam ante desideravi , & desideria dilata crescunt quin refrigescant : Utinam Domine crescentia obtineant , & accipiant ; quam humillime a Te , qui Pater es misericordiarum , & in magna fide , ac confidentia , postulo gratiam , dum neque divitias , neque humanos honores , aut favorem exquiro , sed eorum æternam salutem , & majorem gloriam SSmi Nominis Tui . Dum autem , o Rutheni , orarem in humilitate mea pro Vobis , dedit mihi Deus , ut *ad Græcos Dissidentes revocandos* scriberem , utque vobiscum etiam singulari oratione loqui possem . Particula hæc boni , ac Divini doni non me præteriit ; quapropter ejus adjutorio confisus quædam *præsenti* addam *Opusculo* , quæ vos tangunt intimius , & argumenta nonnulla , quæ ceteris Græcis Dissidentibus non convenire diversa ab eorum vestra origo sacra suadet , ut ipsa monet , docetque historia .

II. (*Plurimi ex Ruthenis semper veram Catholicam fidem retinuerunt . Probatur id ex historiis*) Dixi : *manentibus plurimis in iis* , *QUÆ ACCEPERUNT , ET TRADITA SUNT IPSIS AB INITIO*. Enim vero (ut rem a primordiis repetamus , raptim tamen , & quasi delibantes , ac spicilegio usi ne transgrediamur brevitatis confinia) anti-

quis ætatibus, & ad plurima sæcula Ruthena Natio, ac quotquot sunt undique ejus Populi (quibus prius multi dominabantur Principes, nunc autem sub uno Imperii potentissimo degunt Monarcha, autochratore gloriosissimo) in involumentis viventes Idololatriæ non uno fædabantur errore, ipsam rationalem dignitatem ad ima infelicissimæ servitutis deprimentibus. (*SS. Methodius, & Cyrillus sæc. Ecclesiæ IX. Evangelium annunciaverunt Populis Ruthenæ genti finitimis*) Sed, cum placuit Deo secundum consilium pietatis suæ, in laudem, & gloriam gratiæ suæ, elegit Ipse sæculo Ecclesiæ IX. servos suos SS. Methodium, atque Cyrillum, qui ab Imperatore Michaele Constantinopoli Chersonesum Tauricam, hodie Crimeam, missi, Evangelii splendidissimam lucem ostendentes Catholicam fidem Bulgaris prædicarunt; Bulgaris, inquam, seu Volgaris, qui finitimi Russorum gentibus erant, & fortasse regionem circa Volgam flumen incolebant. Evangelium Christi Apostolici hi viri annunciaverunt Bulgaris, Moravis, Bohemis secum ferentes veneranda S. Clementis I. PP., & Martyris Lipsana, ad quorum aspectum, & tactum multa Deus miracula operatus est: Reges Bohemum, & Moravum Christo pepererunt; ac litteras Slavas, seu Illyricas Populos earumdem Regionum docuerunt, sacrasque Scripturæ paginas in Illyrici sermonis apices transtulerunt. (*Sacris Scripturæ Paginis in Slavam linguam translatis a Sanctis istis Evangelii præconibus quum utantur Moschovitæ, id argumento est, eorum prædicationem ad Russiam etiam pervasisse*) Hac lingua utuntur, hanc translationem Divinorum Librorum habent a vetustissimis temporibus usque ad præsentem ætatem Moscovitæ per omnes Imperii terras; ex quo, validissima urgente conjectura, argui potest, Ruthenos Populos, dum amicitiæ, ac vicissitudinis vinculis necterentur cum Bulgaris vicinissimis, lucem Catholicæ fidei ex ipsorum moribus, linguis, templis, conversatione usquequaque radiantem conspexisse, & pulchritudine cœlesti abreptos Christi legi suavissimæ, ni omnes omnino, plures saltem, sese subdidisse. (*SS. Methodius, & Cyrillus Romano Pontifici adhæserunt*) Ast certum omnino est, SS. Methodium, & Cyrillum Romano Pontifici venerationem præsti-

tisse, & obedientiam, eique adhæsisse sacro fidei, & unitatis glutino; nam ad rectum responsum habendum dubio, quod incesserat animis Neophitorum; utrum nempe liceret Illyrica lingua Sacrum agere, consuluere illi S. Nicolaum I. PP., qui in Cathedra Petri sedit ab anno Domini 858., ad 867., Pontifexque respondit Divini eloquii verbis „Omnis Spiritus laudet Dominum „: Certum etiam, Ruthenos uti in Liturgia hodie etiam Illyrica lingua, qui usus a Responso Romani Supremi Antistitis originem habuit penes ipsos. (*Hos nedum Sedes Apostolica ut Sanctos colit; sed & Rutheni, qui insuper eos habent ut Apostolos suos*) Certum itidem, Romanam Ecclesiam Sanctorum honore prosequi Cyrillum, & Methodium (in Romano Martyrologio ad diem 9. Martii): Certum denique, etiam Moscovitas, nostra adhuc ætate venerari Methodium, atque Cyrillum, qua Ruthenarum Regionum Apostolos, & Divina Officia in eorum annua memoria ipsorum Clerum celebrare. (*Qua de re fatentur ipsi Rutheni, illos Dei Servos qui in fide, & societate Romanæ Ecclesiæ in omnibus perseverarunt, Beatorum honoribus dignos esse*) His positis quoniam Romana Ecclesia, & Ruthena Natio in hoc conveniunt, quod Apostolici isti Viri in Sanctorum censu sint numerandi; aliunde autem, nisi hi ad obitum usque fidem Romanæ Ecclesiæ tum quoad Processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio, tum quoad Purgatorium, validitatem Consecrationis in Azymo, Primatum jurisdictionis Romani Pontificis, beatitudinem Sanctorum indilatam, & si quæ alia sunt dogmata, circa quæ nunc a nobis dissident Rutheni, nisi, inquam, hanc fidem immaculatam tenuissent, & cum Romano Pontifice firmam servassent communionem (de quo dubitari nos non sinit hic supra allata probatio), Romana ipsa Ecclesia Sanctorum cultum nullo modo ipsis deferret; sequitur, & ipsos Ruthenos religioso cultu, quem Sanctis illis præstant, ac usu S. Scripturæ Slavo idiomate fateri, Apostolos suos qui Summo Pontifici, & Romanæ Sedi conjuncti fuere societate fidei, & unitatis, in hac fide, & unitate viventes, perseverantes, morientes ad Beatorum pervenisse gloriam, ac dignos esse, quibus dulia deferatur. Itaque si talis fides, tales actus, talis confœde-

ratio cum Sede Romana ad Cœlum deferunt, & a Moschis ab initio habita hæc sunt, & nunc habentur, ut tessera veritatis.Divinæ (nam ab illis recepisse se veram fidem, ac baptisma gloriantur): Necessario inde consequens est, Ecclesiæ Romanæ doctrinam eam esse, quam docuit Christus Apostolos, & in Apostolis Ecclesiam suam; unitatemque cum Romano Pontifice ad Ecclesiæ Catholicæ statum ex Christi instituto pertinere, & esse de necessitate salutis: E diverso autem falsum quicquid fidei isti, & communioni adversetur, quoniam unus Dominus, una fides, unum baptisma, una Catholica Ecclesia,

III. (*Eadem omnino recurrunt quoad alios Servos Dei, quos venerantur S. Sedes, atque Rutheni*) Eadem omnino recurrunt, quæ superiori Paragrapho notavimus, idemque argumentum (quod quantum urgeat ad suadendam veritatem doctrinæ Romanæ Ecclesiæ, & necessitatem concordiæ cum ea, non possunt, quin videant omnes, & cognoscant ipsi Rutheni), recurrunt, inquam, quoad S. Wlodimirum Magnum Kioviæ Principem, & alios quosdam Ruthenos Sanctos. Nam, pene cadente sæculo Ecclesiæ X., anno scilicet circiter 988., heros ille virtute bellica clarus, sed fide clarior, & fortitudine, ac sanctitate clarissimus, Evangelio Christi suavissimo, & cum Catholica Romana Ecclesia unitati, Romanique Pontificis Primatui, redimitum Corona caput subdere gloriosius æstimavit, atque præstantius, quam gentes viribus, armisque subjugare. Eo ipso ævo Baptisma ille suscepit, & una cum ipso Kiovienses Gentes cœlesti hoc flumine tinctæ sunt, indeque Populi universi S. Woldimiri Principatui Subditi ad gratiam Baptismi pervenerunt. Anthologium (nempe Compendium Breviarii) Ruthenum S. Wlodimiri conversionem ab inanium Idolorum cultu ad Christi fidem asserit, & Miechonius Hist. Polon. lib. 2. cap. 3. narrat, cum Patre Wlodimiro filios numero duodecim fuisse baptizatos ab Episcopo Korsum, seu Chersonæ. Verum enimvero, hac ætate Græca etiam Orientalis nec minimum ab Ecclesia Romana Latina, Catholicaque dissidebat quoad omnia dogmata; in eodem erat cum ea sensu, in eademque sententia, nec dissidium vel corde fovebat, vel ostendebat actibus, quum

ætate S. Wlodimiri, scilicet a sæculo, & ultra post quam dejectus est Photius a Constantinopolitana Sede, quam injuste invaserat, & ad quam, ejus operantibus fraudibus illegitime fuerat restitutus, schismatis ab illo excitati incendium penitus esset extinctum; atque hoc incendium vires, ardoremque suum nonnisi sub ausore sacrilego Michaele Cerulario quinquaginta amplius annis a Baptismate S. Wlodimiri recuperaverit. Wlodimirus igitur, Filii, Populi Kioviæ, aliarumque Regionum ei subditarum cum Sede Apostolica conjunctionem in scientia, & unitate simul cum Baptismate acceperunt, quia Episcopus Korsum illius Sacramenti Minister nulli adhærebat errori, aut dissentioni; quod idem fœdus Rutheni sanctissime retinuerunt etiam sequiori tempore, cum Metropolitam primum Kioviensis Ecclesiæ, Nationisque Russorum habuerint Michaelem Syrum (quem eumdem fuisse ac prænominatum Episcopum Korsum probabilissimum est), quem ad eos misit Nicolaus Chrysoberga Constantinopolitanus Patriarcha Latinæ Ecclesiæ conjunctissimus; Bolland. Act. SS. Tom. 2. Septembris Dissert. de Convers., & Fide Russorum; unde hi doctissimi Viri Bollandistæ ibidem Tom. 2. Februar. ad diem 12. de Michaele Syro ajunt „ qui cum Nicolao Chrysoberga Patriarcha Constantinopolitano, a quo Russiam „ missus fuerat, Ecclesiæ Romanæ adhærebat „. Ut S. Woldimiro tribuatur Sanctorum cultus concessit Apostolica Sedes, eique tribuunt honores sacros Rutheni tum uniti, tum etiam Dissidentes a Sede Petri; idemque dicas de duobus Sanctis Wlodimiri filiis Boris, & Cleba, qui dicti sunt etiam David, & Romanus; nec non de Sanctis Monachis Pieczariensibus Antonio, atque Theodosio: Quare merito diximus recurrere hoc loco argumenta allata superiori Paragrapho.

IV. (*Sequentibus ab accepta Catholica fide sæculis, Natio Ruthena Romanæ Ecclesiæ conjuncta, in ea constans permansit*) Sanctissimam cum Occidentali Ecclesia unionem animo volenti, ac fortitudine invicta Rutheni sequioribus sæculis retinuere, nec ab ea passi sunt avelli ob perniciosissimas novitates, deflendumque schisma, quod, ut diximus, suscitavit è cineribus Michael Cerularius. Revera an-

no Domini 1075. Magnus Chioviæ Dux Isoslaw, cui nomen etiam Demetrii, Jeroslavi filius, Romam misit Natum suum ad Summum Pontificem S. Gregorium VII., qui Chioviensia propria Dominia protectioni SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Sedi commendaret Apostolicæ; quæ res manifeste declarabat obsequium Principis erga Romanam Ecclesiam, communionemque cum ea sincerissimam. Paterno amore refertas scripsit ille Pontifex Epistolas Magno Demetrio, quarum meminere Bollandistæ Act. SS. Tom. 2. Septembris dicta Dissertat. de Convers. &c. Viden. Baron. in Append. de Ruthenis.

Ephrem vero Ruthenus Metropolita, ad finem vergente sæc. XI. accepta Bulla Urbani II. Romani Pontificis, qui instituit Festum Translationis Sacrorum pignorum, & reliquiarum S. Nicolai Episcopi Mirensis (a loco Depositionis dicti Barensis, & Rossiaca lingua Barski) Bario Kioviam a Mercatore quodam allatarum; eam Bullam tanta religione amplexus est, ut pro debita jussis Apostolicis obedientia Festi illius diei observantiam indixerit die 9. Mensis Maii. Attente hic observandum, quod Græci nec præterito ævo celebrarunt diem hunc Festum, neque hodie agunt, quoniam in eorum Kalendariis, & Menologiis non est eum reperire; Verum e contrario nunc sicut & prius, Rutheni religiose servant Festi ipsius annuum reditum, ac celebritatem; ex quo liquido patet, Sæculo Ecclesiæ XI. se abstinuisse Russos a spirituali cum Græcis Dissidentibus confœderatione, eorumque societatem rejicientes, Romanæ, ac Latinæ Ecclesiæ strictissime adhæsisse. Viden. Koialovicz Miscell. Lithuan. an. 1096.; Kulczynski Specim. Eccl. Ruth. pag. 112. Edit. Roman. an. 1733. 1734.; Comment. ad Caponian. Tabul. per Carmin. Falcon.; Anthologium Magnum, idiomate Rossiaco editum Leopoli 1643.

Sæculo Ecclesiæ XII., tempore Alexandri III. PP. Metropolita Kioviensis Joannes III., Natione Græcus, voluntate, atque impulsu Principis Kioviæ Ratislaw Summo Pontifici dedit litteras obsequii, ac obedientiæ testes, cum in iis Romanum Pontificem Catholicæ Ecclesiæ Primatem, & hujus mystici Corporis Jesu Christi Caput profiteretur. Hæ litteræ in Slavum idioma translatæ inter vetustiora au-

thentica Documenta servantur penes Ruthenos; Bolland. Act. SS. cit. Dissert. de Convers. &c. Vol. 2. Septembris.

Sequenti XIII. sæcul. Cyrillus I. Ruthenus Metropolita decreta, ac missa publica Legatione, Honorium III. PP. adiit, ut suo, suæque Nationis Symmistarum nomine obedientiæ ipsi præstaret signa certissima, nec ulli obnoxia ambiguitati; Eumque obtestaretur, ut Ministros destinaret Evangelicos, qui Russiam usque profecti pro sanctissimæ Religionis, unionisque Catholicæ bono, ac immaculata puritate agerent strenue, eamque omni promoverent conatu; maxime vero plures, qui irrepserant, abusus, erroresque corrigerent, evellerentque. Quinimo de divino hoc negocio solliciti piissimi Moschorum Principes religioso, & imitando zelo Willhelmum Episcopum Mutinensem, Apostolicumque Legatum ad Livoniam, & Estoniam, appellarunt, ut se, suaque dominia peteret, quum Catholicam fidem absque macula, & ruga purissimam profiteri enixe cuperent, quocumque ablato, ejuratoque errore, qui ob defectum Evangelicorum Ministrorum in ipsorum mentes, ac voluntates forte irrepsisset. Suavitate præditas Epistolas Honorius scripsit Principibus istis, vere diligendis, incipientes „ Gaudemus „ quibus de lætitia sua, ac gaudio in Domino testificabatur, unaque hortabatur eos, ut Romam Legatos mitterent ad negocium gravissimum pertractandum, & recte perficiendum, quoniam de summa re, nempe de Religione Christi Jesu agebatur; Raynald. ad an. 1227., Bolland. l. c. Æra igitur tunc felicissima adhuc computabatur Unionis indivulsæ Ruthenorum Principum, Antistitum, Nationum cum Apostolica Petri Cathedra.

Sed & sæculo eodem XIII. aliæ hujus assertionis nostræ suppetunt validissimæ probationes: Enim vero Princeps inter Russos Jeroslaw obedientiæ suæ Innocentio IV. PP. professionem exposuit coram Religioso Viro ex Ordine Observantiæ S. Francisci Joanne e Plano-Carpino Apostolico Pœnitentiario, quem Summus ille Pontifex dixerat ad Tartariæ Supremum Imperantem, quem Magnum-Kan appellant, ut ad negocia Catholicæ Romanæ Religionis penes eum moraretur, sicuti observare est in Epistola ipsius Pon-

tificis data Lugduno quintodecimo Kalend. Martii 1248. ad Alexandrum, dictum Susdæ Ducem, Filium Jeroslaw.

V. (*Phocyeus erroribus Græcorum imbutus sategit cancro hæreseon inficere Kiovienses; sed frustra*) A conversione a simulacris Gentium ad Deum vivum, & verum, & ejus Filium D.N.J.C. usque ad hoc tempus Nationes Russorum intemeratæ permanserunt in fide, & in communione cum S. Romana Sede, eamdem tenentes Catholicam Apostolicam doctrinam de Romani Pontificis in universum Orbem Sacro Primatu, de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, de Purgatorii piaculari loco, deque aliis dogmatibus, a quibus nunc dissentiunt, quæque licet numero pauca sint, nihilominus dogmata fidei sunt, itaut nisi quisque ea fideliter, firmiterque crediderit salvus esse non possit. Deflenda nimis, ac vere amarissima jactura fuit illustrium Ruthenarum Gentium, quas e sinu suo divulsas vidit Romana Ecclesia *Unius* calliditate, nempe alterius Photii, Slavo sermone Foziey, quem anno Domini 1408. misit Cyrillus II. Constantinopolitanus Patriarcha ad regendam Ecclesiam Metropolim Kioviensem. Parebat tunc Urbs Kioviæ Principi Vitolco, Magno Lithuaniæ Duci. Phozieus ille adulteram, novamque doctrinam populis annunciare ausus est, & superseminare omnia, quæ in vineam Christi Jesu mortifera semina spargere penes Græcos contenderant novitatum auctores, & ministri Photius ille primus, & Michael Cerularius. Scandala multa peperit inaudita prædicatio in animis Lithuaniorum, qui recens baptisma, & fidem Catholicam susceperant; & mores, christiano homini indigni, nec non philargyria secundi Photii abominabilem ipsum reddidere adeo, ut Episcopi Rutheni Catholici ejus decreverint depositionem. (*Hinc Metropolitam Sedem Moscuæ invasit, venenoq. hæresis aspersit gentes, quibus Basilius Basilides principabatur*) Rebus sic stantibus, & Duce Vitolco rem, & fidem divinam protegente, Photius iste Urbem Moscuam adiit, & a Moschis, in quos dominabatur Princeps Basilius Basilides, ut Metropolita exceptus est. Consequens hinc fuit, errores, quibus Photius patrocinabatur audivisse Moschos illos, venenumque bibisse ad mortem, quum non alter esset magister, qui veritates fidei purissi-

mæ eos doceret. Favit & Princeps (id, quod maximum, & præcipuum erat); unde omnimoda earum Regionum defectio a doctrina, quam Majores sui receptam a Sanctis, Orthodoxisque Evangelii Ministris, usque eo retinuerant. *Omnimoda*, dico, *earum Regionum defectio, quæ Basilio Principi suberant*; nam magna, spectabilisque Ruthenorum pars, Lithuana nempe, aliaque in Poloniæ dominiis sita manserunt una cum sacris ipsorum Ministris in veneranda antiqua unione, fideique confessione; Sthrahlemberg Descript. de l'Empire de Russie Vol. 2. pag. 92.

VI. (*Igitur, quum recesserint Rutheni isti a fide, quam Romana Ecclesia tenet, hinc in errores prolapsi sunt*) Observavimus supra (§§. III., & IV. præsentis Orationis), SS. Apostolicos Viros, simulque Moscovitarum Apostolos fidem Catholicam istis attulisse, eam ipsam, quæ Romanæ Ecclesiæ erat tunc, & nunc est, eritque semper; cumque SSmo Pontifice fœdus indivulsum habuisse. *In Proœmio* autem *hujus Opusculi de Primatu* demonstravimus ad supremum usque, fidem veram eam esse, quam a Christo Apostoli, & ab Apostolis Ecclesia Catholica accepit, ac servat, ut pretiosum depositum sibi traditum custodiendum; è diverso quidquid novum est, ac recens in doctrina sacra, hæresim esse judicandum. Diximus invictis argumentis nixi, Romanæ Catholicæ Ecclesiæ ab initio fuisse ab Apostolis consignatam eam doctrinam, quam ipsos docuit Christus Dominus, & hanc fidem Romanos Pontifices jugiter tenuisse; itaut ob Christi promissa aliud, quam quod accepit, seu Ipsa credere, seu tradere aliis nusquam possit, id, quod de S. Sede Romana, cui Latina Ecclesia semper adhæsit, propius ostendimus *in Prolegomenon ad II. Propositionem hujusmet Opusculi*, allatis SS. Patrum, Generaliumque Conciliorum sententiis. Atqui a fidei unitate, quam Romana, Latinaque Ecclesia habet illibatam, & a societate cum ea alieni sunt hodie Rutheni Dissidentes; ergo in eos isti impegerunt errorum scopulos, a quibus Paulus Gentium Doctor (cujus verba S. Vincentius Lerinensis, Tertullianus, S. Irenæus commentariis illustrarunt) fideles monuit, ut caverent.

VII. (*SS. Ruthenorum Apostoli fidem Catholicam eis*

prædicarunt ; Phocyeus doctrinam novam, ideoque falsam venditavit) Absque ullo dubio fidem antiquam , & Orthodoxam , quæ una est (quemadmodum Ecclesia una, sicuti in Symbolo & ipsi Rutheni canunt, ac confitentur), nec ab alio, quam a Christo potuit hominibus tradi, hanc Sancti, quos Rutheni venerantur, & nos S Sedis auctoritate religioso obsequio prosequimur , Moschis attulere , seu Cyrillus, atque Methodius, seu potius Wlodimirus; cum e contrario Photius, ac Cerularius nova a se inventa, & proinde a doctrina Christi aliena dogmata in suos invexerint, eaque ipsa Phozieus homo alienigena Russis venditarit. Quam nam igitur doctrinam quisquis prudens est, fidelis , religiosusque Vir amplectetur, atque custodiet ? Num eam , quæ a Servatore Jesu prædicata, traditaque fuit ; an eam, quam a se ipsis compositam suadere conati sunt Photius , Cerularius , horumque assecla Phocyeus ? Unicuique patet hanc erroneam , & hæresim ; illam veram, a Divina Sapientia dictatam , nisi quis blaspheme dicat, Jesu Christi doctrinam esse rejiciendam, utpote quæ veritati adversetur. Sed & iterum dicamus; Sancti, quos nominavimus, Methodius, Cyrillus, Wlodimirus , David , Romanus (alias Boris , & Cleba), Theodosius , Antonius fidem unam cum Romana Ecclesia habuerunt ; eosque ut Dei Famulos, & sacra observatione dignos suspiciunt Moschovitæ, imo unius, alteriusque inter eos prædicatione Evangelium sibi affulsisse gloriantur. (*Quoniam Rutheni, Sanctis illis deferunt cælestes honores nequeunt aliam fidem tenere ab ea , quam ii tradiderunt*) Nequeunt igitur ea , quæ ipsi crediderunt respuere (quæ certe respuunt, cum Romanæ Latinæ Ecclesiæ rejiciunt fidem) , nisi velint Sanctorum suorum traditionem dimittere: Sed & sibi ipsis contradicere comperiuntur, dum istos inter Sanctos censent, unaque fidem, quam ipsi professi fuere, damnant, & execrantur, ut falsam , & orthodoxæ contrariam . Absit ; ita errare velle Ruthenos ingenio pollentes, qui ab Apostolo Jacobo didicerunt Sapientiæ cœlesti inter cetera hoc etiam inesse bonum, quod *sit suadibilis* (*Jacob.* 3. 17.) Pronum siquidem est rem hanc totam dilemmate perstringere: Aut tenent ipsi , omnia fidei dogmata, quæ Sancti, quos no-

minavimus, prædicarunt dum regionibus suis Evangelii lumen ostenderunt, vera fuisse, aut non? Si vera non fuisse dicant; quomodo illis Beatorum honores publico, & sacro cultu tribuunt, ac tribuendos certissime fatentur, quum indubitata res sit, haud posse quemquam in Sanctorum Canonem referre eos, quos adulteræ doctrinæ, & Catholicæ adversæ constet fuisse patronos: Sin autem vera; qua possunt conscientia, & num salva fide queunt ea ipsa dogmata, quæ vera esse norunt, & talia esse testantur ipso facto religiosi cultus, ea inquam ipsa abjicere, ut oppositas falsitates sectentur? Sane, eorum Sanctorum orthodoxa fuit fides, quod probatum a nobis sæpe est; quis igitur vel tantillum dubitabit, quin Ruthena Natio illustris, ac de æterna salute non parum sollicita memor velit esse, unde exciderit; ac vocem Summi Pastoris Romani Pontificis, qui unitatis est Centrum, velit audire, ejusque amplexus exquirere? Hæc ad bonum animarum vestrarum, ad vestram ipsorum æternam salutem optamus vehementer, ac sincerissime; nec non, ut præsentis vitæ, quantum fas est, obtineatis felicitatem; ut publica stabilius firmetur vestra quies; ut Supremæ Potestatis amplificentur, & confirmentur jura, oramus Dominum, & obtestamur.

VIII. Neque vero putandum est, Summos Romanos Pontifices velle Catholicos Græcorum, ac Ruthenorum ritus tollere, aut prohibere eorum usum. (*Summus Pontifex declaravit, ritus Ruthenos Catholicos, & unionem non excludentes nolle abolere*). Siquidem S. M. Paulus V. ad quædam Consulta super hac re sibi proposita declaravit, *per litteras in forma Brevis diei* 10. *Aprilis an.* 1615., nullatenus Ruthenis ad communionem S. Sedis adjunctis impositam fuisse legem, ut, abdicatis propriis ritibus, Ecclesiæ Latinæ ritus amplecterentur. Rem compendio perstringit S. M. Benedict. XIV. Epistola Encyclica incip. „ Allatæ sunt „ data die 26. Julii 1755. §. 14. „ Celeberrima fuit unio (ait) Rutheno-
„ rum cum Apostolica Sede tempore felicis record. Clemen-
„ tis VIII. PP. peracta, cujus monumenta relata leguntur
„ in Annalibus Ven. Cardinalis Baronii Romanæ Edit. ann.
„ 1596. Tom. VII., ubi pag. 682. exhibetur Decretum ab
„ Archiepiscopis, & Episcopis Ruthenis pro ineunda Unio-

„ ne confectum cum hac conditione „ Salvis tamen, & in „ integrum observatis cæremoniis, & ritibus Cultus Divi- „ ni peragendi, & sanctorum Sacramentorum juxta con- „ suetudinem Ecclesiæ Orientalis; correctis tantummodo „ iis articulis, qui ipsam Unionem impedirent; ut more „ antiquo fierent omnia, sicut olim Unione durante fue- „ runt „. Sed, cum paulo post ad pacem turbandam ru- „ mor percrebuisset, sublatos esse in Unione ritus univer- „ sos, quibus Rutheni antiquitus usi fuerant in Divina „ psalmodia, in Missæ Sacrificio, in Sacramentis admini- „ strandis, aliisque sacris cæremoniis, *Paulus V. litteris* „ *Apostolicis in forma Brevis datis anno 1615.*, quæ in eodem „ Græcorum Enchiridio impressæ sunt, voluntatem suam „ his verbis solemniter declaravit: „ Dummodo veritati, „ & doctrinæ fidei Catholicæ non adversentur, & Commu- „ nionem cum Romana Ecclesia non excludant, per unio- „ nem præmissam tollere, aut extinguere, Ecclesiæ Roma- „ næ intentionem, mentem, & voluntatem non fuisse, „ necesse, nec id dici, vel censeri potuisse, nec posse; „ quin imo dictos ritus eisdem Ruthenis Episcopis, & Cle- „ ro ex Apostolica benignitate permissos, concessos, & „ indultos esse „.

IX. (*Nusquam Sedes Apostolica Græcos Catholicos Ritus damnavit; unde falsa comperiuntur quæ in hoc spargunt Dissidentes*). Verissima hæc, ac constans fuit usque ab initio sententia, & agendi ratio Romanorum Pontificum, quos falsis assertis, ac multis in eos jactis conviciis in invidiam trahere quotquot sunt Dissidentes conantur, ut, cum non inveniant quomodo patrocinari suis valeant erroribus, dicteriis saltem animos Populorum a S. Sedis reverentia, obedientia, amore avertant. Veritati enim certissimæ omnino contraria produnt, firmo animo, ac quadam in rudes populos auctoritatis aura, dicentes, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, atque Latinis abominabiles esse sacros Græcæ Ecclesiæ ritus tunc etiam cum fidei Catholicæ, & sanctæ unioni haudquaquam præjudicant. De hoc argumento egimus *in Exhortatione ad Græcos præmissa superius edito Opusculo nostro* „ *De Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio* „ Veruntamen, ne aliquid a nobis tamquam a nobis ipsis as-

seruisse videamur accipite ea, quæ subjicio, Rutheni, aliique Græci nobis in Domino charissimi, ex quibus certe datum erit (nam Pontificio calamo scripta leguntur) cognoscere, quantum vos diligat S. Mater Ecclesia Romana, & quam effuso sinu suo paterno optet, & agat, ut sibi, quæ est unitatis Catholicæ Centrum, corde, ac spiritu adhæreatis indivulse.

X. (*Id pluribus docet Summus Pontifex Benedictus XIV.*) Præclariora sunt, eademque prolixiora, quæ docet *S. M. Bened. XIV.* nominata *Epistola Encyclica* „ Allatæ Nobis „ 26. Jul. 1755. Ex ea decerpere aliqua laboris nostri laus erit, atque vobis, ut in Domino confidimus, utilissimum. Ea Epistola protestatur Pontifex (§. 4.) omnia brevius, quo fieri poterit, velle complecti „ quæ juxta hujus Apostolicæ „ Sedis sententiam pro norma haberi debent, quoties Orien- „ tales ad Catholicam Religionem convertuntur &c. „. Ac rem proprius perstringens ait (§. 6.), Ecclesiasticæ historiæ ignarum se prodere, qui nesciat, omnem curam collatam fuisse tunc cum uniones cum Orientalibus conciliatæ sunt, ut errores Catholicæ fidei adversi evellerentur, numquam vero actum esse, ut venerabili Orientali ritu detrimentum ullum inferretur; Sed, & præsentem quoque disciplinam prorsus ignorare eum, cui satis exploratum non sit, Romanos Pontifices eamdem viam semper institisse, & adhuc insistere, sicut ex ipsorum tum dictis, cum factis manifeste colligitur. Sane, XI. Ecclesiæ Sæculo S. Leo IX. PP. Epistola I. cap. 9. testatur, Monasteria, & Ecclesias Græcorum intra, & extra Romam non perturbari, nec prohiberi a paterna traditione, sive sua consuetudine; quin potius suaderi, & admoneri eam observare. Initio Sæculi XIII. Summus Pontifex Innoc. III. Decretali in Concilio Lateranensi IV. edita (Tom. VIII. Collect. Concil. Harduin. pag. 22., & Cap. Licet de Baptism.) declaravit, velle se mores, ritusque Græcos fovere, & honorare, iisque tantum nolle, nec posse deferre, quæ periculum generant animarum, & Ecclesiæ derogant honestati. Nec aliam tenuit sententiam Honorius III. PP. Epistola ad Regem Cypri apud Raynald. ad ann. 1222.: Documentis ejusmodi plurimum redundat Sæculum XIII.. Ad hoc quippe sæculum pertinet

Epistola Innoc. IV. ad Danielem Regem Russiæ (apud eumdem Raynald. ad ann. 1247. num. 29.), qua ipsius Regis specialem devotionem erga Ecclesiam Catholicam commendans concedit, ut ritus, qui fidei Romanæ Ecclesiæ non repugnarent, in ejusdem Regno servarentur, ita scribens: „ Ea propter, charissime in Christo Fili, tuis supplicatio„ nibus inclinati, Episcopis, & aliis Presbyteris de Rus„ sia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere, & „ alios eorum ritus, qui fidei Catholicæ, quam Ecclesia „ Romana tenet, non obvient, observare, auctoritate præ„ sentium indulgemus „. Eadem statuit idem Innocen. IV. in Constit. incipien. „ Sub Catholicæ „ in veteri Bullar. Tom. I., ac in Litteris datis ad Laurentium Minoritam Apostolicum Legatum, quibus etiam mandavit „ quatenus „ Græcos illarum partium, quocumque nomine censeantur, „ auctoritate Apostolica protegens turbari eos violentiis, „ vel quibuscumque molestiis non permittas, injurias quas„ libet, & offensas a Latinis illatas eisdem, planarie fa„ ciens emendari, & Latinis ipsis districte præcipiens, ut a „ similibus de cetero penitus conquiescant „. (Raynald. „ ad an. 1246. num. 30.). Quæ decreverint Alexander IV. PP. pro Græcis Regni Cypri, & Elias Archiepiscopus Nicosiensis an. 1340. in habita ab eo Synodo, perspici possunt apud Labb. Edit. Venetæ To. XIV. pag. 179., & Tom. XV. pag. 775.. Hæc omnia excerpsimus ex jam dicta Encyclica „ Allatæ Nobis „ Sa. Mem. Benedicti XIV., quæ integra legenda est, cum verba faciat de Unionibus cum Græcis in Conciliis Lugdunensi II. sub B. Gregorio X., & Florentino sub Eugenio IV. (§§. 11. 12.), tum de Constitutionibus Leonis X., Clem. VII., Pii IV., ac Gregorii XIII., qui tria in Urbe Collegia instituit pro Græcis, Maronitis, & Armeniis, in quibus Alumnos dictarum Nationum educari voluit, ita tamen, ut semper in suis ritibus perseverarent (§§. 13. 14.). Ad hæc recenset Benedictus (a §. 15.) Ecclesias, quas diversis temporibus Romani Pontifices Græcis, Maronitis, Armeniis, Cophtis, Melchitis in Urbe addixerunt, quæque etiam nunc extant, & patent, ut Sacras functiones in ipsis juxta ritum suum singuli expleant; Episcoposque Græcos Romæ, & in Bisinianensi Diœcesi constitutos ad

conferendos Ordines secundum Græcorum ritum Italo-Græcis latinas Diœceses incolentibus; nec non ait, quod Episcopis Catholicis Maronitarum, Cophtorum, & Græco-Melchitarum, qui aliquando Romæ versantur, non denegatur facultas conferendi Ordines juxta eorum ritum hominibus propriæ uniuscujusque Nationis, dummodo idonei reperiantur. De aliis pluribus agit Pontifex Summus ibidem, quæ brevitatis studio omittimus, & eo libentius, quo legi poterunt ab iis omnibus, qui veritatis sunt amatores; quemadmodum etiam adiri alia ipsius Pontificis Constituta; ac præsertim unum, cui initium „ Demandatam cælitus „ diei 24. Decem. 1743., alterum incipien. „ Inter plures „ diei 2. Maii 1744. §.24., & aliud, quod incipit „ Etsi persuasum „ diei 20. Aprilis 1751.

XI. (*Ex eo, quod Moschi se a Constantinopolitano Patriarcha subduxerunt, sperat Thomassinus, eos ad primigenium fontem Romanam Ecclesiam esse redituros*), His prænotatis, ad lætissima tractanda descendimus. Doctissimus in Canonibus Ecclesiæ versandis, atque in sacra Theologia Ludovicus Thomassin. Gallicanus Scriptor de Veter., & Nov. Eccl. Discipl. Part. I. lib. 1., refert, elucidatque præclaris animadversionibus suis exempla Unionum cum S. Romana Ecclesia, quas variis temporibus expetierunt, & consequuti sunt Populi multi ab ea Dissidentes. Agit cap. XXV. n. IV. de Patriarcha, seu Primate Moschorum, quoniam elucebat adhuc dum scriberet ea Dignitas apud istos; aitque de Moschis „ Consentit omnino fides, & Ecclesia eorum cum „ Græca; ad exitum enim vergente Sæc. IX. tum demum a „ Græcis illi fidem, sacramque hausere disciplinam impe„ rante Basilio. Tanto æquius est autem, ut nos ista con„ soletur spes, fore, ut Moschorum . . . . tota Gens in „ gremium revolet Romanæ Ecclesiæ omnium Parentis, „ quod Patriarcha jam ab Imperatore ipso Moschorum eligi„ tur, nec confirmari se expectat a Patriarcha Constanti„ nopolitano, cui illum aliquando obtemperasse, si quibus „ etiamnum proditur vestigiis, per obscura sane ea sunt, „ & levissima „ (Lætius hæc scriptis consignasset Thomassinus, si tunc Patriarchæ Moschorum in Clero suo summa prælatio fuisset, ut postea accidit, omnino extincta).

„ Exarescent aliquando„(prosequitur Auctor de spirituali potestate, ac de Ecclesiis loquens) „ hi rivuli, in alias, & alias
„ gentes sparsi, nisi se referant, refluantque in primigenium fontem potius, & in Romanam Ecclesiam, quam
„ in Ecclesias illas, a quibus immediate manaverant, ut
„ ex Asiæ, Africæque Primatibus jam demonstratum est,
„ qui non Alexandrinae, non Antiochenæ se rursum conglutinari Ecclesiae expetierunt, sed Principi Petri Sedi,
„ ex qua omnes prorsus Ecclesiae ortum ducunt. „ Tum
„ deinde num. VII. habet. „ Potest illud permirum videri,
„ cur Moschovitae, cum proprius absint ab Italia, & Roma, postremi tamen omnium ad expetendam ejus communionem accesserint. Nec tamen obscura ejus ratio
„ est. Nimirum Urbi, Ecclesiaeque Constantinopolitanæ
„ & propriores, & conjunctissimi, hinc suam hanc hauserunt ab Ecclesia, & communione Romana alienationem
„ . . . . Si seduli tamen Annales Ecclesiae sacros pervolutemus, tamatæ saltem deprehendemus aliquas hujus concordiæ notas. Cum primum enim in potestatem Turcarum venit Constantinopolis, cæpit jam tum Moschovita
„ Ecclesia, aut abrumpere, aut laxare vincula priora, quibus ad obedientiam Patriarchæ Constantinopolitani constringebatur (Raynald. ad an. 1461. num. 14.) . . . Non
„ multo post tempore, Moschorum Magnus Dux Basilius
„ Legatos Romam misit (idem Raynald. ad an. 1470. n. 9.)
„ nuptias expetens Filiæ Thomæ Despotæ Pelopponensis,
„ cui obvenerat hæreditas Imperii Constantinopolitani, &
„ quæ Romam confugerat, in sinumque se Pontificis Romani condiderat cum miserrimis reliquiis Imperatoriæ
„ Palæologorum familiæ. Pronis auribus excepta petitio.
„ Ea, qua par erat, humanitate, & benevolentia Legatos
„ excepit Xystus IV., Moschovitas laudibus cumulavit, quod
„ excussissent obedientiam Patriarchæ Constantinopolitani . . . . . quodque Florentinæ Synodi decretis acquievissent. Denique, postquam illi usitatam professi sunt
„ Summo Pontifici obedientiam, nuptias celebrari jussit in
„ Ecclesia S. Petri Romæ. Joannes Basilius Magnus Dux
„ novum tentavit cum eodem Xysto IV. fædus ea spe illectus, ut ab eo Regis, aut Imperatoris nomine, & Insi-

„ gnibus donaretur. Adversabatur summopere Polonorum „ Rex. Pollicitus est Pontifex omnibus se rationibus ejus, „ & utilitatibus consulturum, sed tam præclaros tanti Pon- „ tificis conatus mors intercepit. „ Meminit deinde Thomassinus (eodem loco §. Fatemur tamen), sponsore veritatis Raynaldo ad annum 1525. num. 67. 68. 73., Legationis Magni Ducis Basilii, qui inscribebat se suis Epistolis „ *Magnum Imperatorem totius Russiæ* „ ad Clementem VII. PP. pro concilianda confœderatione cum Sancta Romana Ecclesia, librandas omnes Unionis conditiones Clementis ipsius arbitrio committentis: „ *Modum autem, & viam rei conficiendæ totam Nobis committens* „ ad Poloniæ Regem ita scribebat Pontifex. „ Excitatæ a Lutheranis procellæ (ad- „ dit Thomassinus) praeclarissimos hos oppressere conatus. „ Sed vel haec ipsa orsa, atque molimina Unionum, fœde- „ rumque toto ex Orbe ad Romanam Ecclesiam vergentium, „ perfectissimam Unionem parturientium, instar jam habe- „ bantur Unionis, & confœderationis validissimae, qua Lu- „ theranorum paucitas retunderetur. Non injuria ergo Exius „ illos hoc ariete impetebat: „ Nondum sunt illa tempora, „ quibus haereditas Christi, quam accepit a Patre suo, in „ illas angustias redigatur. Supersunt adhuc Christiani in „ Italia, Gallia, Hispania, Anglia, Scotia, Polonia, Hun- „ garia, Graecia, Ætyopia, India, & Armenia „. (De Catholicis Romanis loquebatur Exius, ut clarum fit ex antithesi ad Lutheranos), „ Quod ad Russiam Albam pertinet, qua „ de hic verba fecimus, non abjicienda spes est, (Spon- „ dan. ad an. 1595. n. 14.), quin & illa in unitatem se ali- „ quando Catholicam recipiat, in eaque perseveret exem- „ plo Russiae Nigrae sub Poloni Regis dominatione (in qua tunc vivebant), quae sub Clemente VIII. Romanae se fidei, „ & communioni restituit „. Hucusque nominatus Scriptor.

XII. (*Hanc eamdem spem concepit animo Pontifex Summus Benedictus XIV.*) Dulcissimam hanc spem eamdem, atque lætissimam, ut Nationes omnes Orientis, Moschorumque in unum cum S. Sede, totaque Latina Ecclesia conveniant tandem aliquando (quod nos etiam simplici corde, & ab humanarum rerum affectione, curis, desideriis alieno

desideramus) concepit animo, fovitque Summus Pontifex Benedictus XIV., quemadmodum in supra relata Encyclica Epistola „ Allatæ sunt „ diei 26. Julii 1755., splendidissime declaravit. Ejus verba ipsa afferemus, quæ totum §.19. conficiunt, quo in loco memoria repetendum, Ruthenos easdem tenere, ac profiteri doctrinas, quæ Græcos separant a Catholica Latina Ecclesia „ Ex his (ait) quæ hucusque „ latiori calamo relata sunt, plurima facile inferri possunt. „ Primum quidem, conatus omnes, omnemque diligen„ tiam in id unum impendendam esse ab eo Missionario, „ qui Orientales schismaticos, & Græcos ad unitatem, Deo „ juvante, redigere contendit, ut scilicet ab eorum animis „ errores depellat Catholicæ fidei adversantes, quos Majo„ res eorum amplexi sunt, ut causam aliquam prætende„ rent, qua se ab Ecclesiæ unitate segregarent, subtrahe„ rentque ab obedientia, ac obsequio Romano Pontifici, „ tamquam ejusdem Ecclesiæ Capiti, exhibendis. Quod ve„ ro spectat ad argumenta, quibus Missionarius uti debet; (*SS. PP. Græci, & Latini conveniunt inter se in iis omnibus dogmatibus adstruendis, quæ docet Romana Latina Ecclesia*) „ quum Orientales propriis veteribus Patribus magnopere „ adhæreant, peracta jam res est operosa sedulitate diligen„ tissimi Leonis Allatii, aliorumque clariorum Theologo„ rum, qui perspicue demonstrarunt, convenire maxime „ inter se veteres, spectabilioresque Græcorum, nostros„ que Ecclesiæ Occidentalis Patres, in iis omnibus, quæ „ ad dogma pertinent, & ad confutationem errorum, qui„ bus Orientales, & Græci nunc temporis misere implican„ tur. Quapropter horum librorum studium maximam in„ dubie afferet utilitatem. Conati sunt sane Lutherani præ„ terito sæculo Orientales, & Græcos in errores suos per„ trahere. Idem quoque tentarunt Calvinistæ infensissimi „ hostes præsentiæ realis Christi in Sacramento Eucharistiæ, „ & transubstantiationis panis, ac vini in ejusdem Cor„ pus, & Sanguinem, & in partes suas Patriarcham Cy„ rillum, ut ajunt, adduxerunt. Attamen, cum Græci, „ licet schismatici, animadvertissent, novis Lutheranorum „ erroribus adversari suorum veterum Patrum auctoritates, „ præsertim SS. Cyrilli, Joann. Chrysostomi, Gregorii

„ Nisseni, Joannis Damasceni, tum authentica argumenta, quæ ex ipsorum Liturgiis depromuntnr ad realem præsentiam, & transubstantialem asserendam, se decipi minime passi sunt, nec ullo modo a Catholica veritate recedere voluerunt. Constat id omne ex Schelestrato in Dissertat. „ De perpetua consensione Orientalis Ecclesiæ contra Lutheranos „ sub titulo „ De transubstantiatiotione „ pag. 717. To. 2. Auctor. Eccl. Orient. Iidemque duabus in Synodis Patriarcham Cyrillum, seu edita sub ejus nomine Calviniana dogmata, unanimes damnarunt, uti videre est apud Christianum Lupum par. 5. ad Concil. Generalia, & Provincialia, ac potissimum in Dissertat. „ De quibusdam locis c.9. in fin. „ Ex quo primum haud levis spes affulget, fore, ut ipsorum oculis subjectæ auctoritates veterum Patrum, quæ novis eorumdem erroribus adversantur, Catholico autem nostro dogmati favent quammaxime, facile iisdem viam ad reditum sternant, eosque ad veram conversionem impellant. Deinde, alterum quoque potest inferri, nimirum non modo opus non esse, ad Orientales, & Græcos in viam unitatis revocandos, ut lædantur ipsorum ritus, aut corrumpantur, quandoquidem id semper alienum fuit ab instituto Sedis Apostolicæ, quæ in hac ipsa sacrorum rituum materia zizania a tritico, quoties oportuit, secernere novit; verum etiam conatus hujusmodi plurimum optatissimæ unioni adversari, ut recte perpendit Thomas a Jesu „ De Conversione omnium gentium procuran. lib.7. cap. 2. . . . . . Demum ex iis, quæ supra præjecimus, illud tertio infertur, cavendum omnino esse Missionario, qui Orientalem schismaticum reducere cupit, ne eumdem ad Latinum amplecteudum ritum inducere contendat; munus nempe hoc unum Missionario demandatur revocandi Orientalem ad Catholicam fidem, non vero ipsum ad Latinum ritum inducendi „.

XIII. (*Id probatum est, allatis etiam Liturgiis Orientalibus, speciatim in hoc Opere, & in alio „ De Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio*) „ Et re quidem vera, quemadmodum Leo Allatius, aliique insignes Theologi perpetua SS. Patrum, etiam Græcorum, traditione asseru-

runt dogmata Catholica, quae Ecclesia Romana Latina docet, quaeque a Graecis, Ruthenisque rejiciuntur, ita nos pro tenuitate nostra speciatim dogmata „ Processionis Spiritus Sancti a Patre, & Filio „ ac „ Primatus jurisdictionis Summi Pontificis in universum Orbem „, statuimus tum invictissimis auctoritatibus Divinarum Scripturarum, Sanctorumque Patrum Latinorum pariter, atque Græcorum, tum etiam Liturgiis Ecclesiarum Græcae, & Ruthenae, tum & theologicis rationibus; idem acturi, Divino auxilio praesente, si necessitas ferret, quoad cetera capita controversiarum inter nos, & ipsos. Haec nostra, nostrorumque argumenta confido fore, ut recipiant etiam Moschovitae, qui prae oculis habent normam sibi traditam in Canone ad Cleri Rutheni doctrinam, sive in Publico Statuto Petri I. Imperatoris, quod editum est Petropoli 12. Febru. 1721., ac sub gubernio Imperatricis Catharinae II. recusum Moscuae die 13. Decemb. 1794., cuique Clerus ipse Ruthenus omnis adhaeret. (*In Canone pro Clero Rutheno præcipitur lectio SS. PP. Græcorum pariter, & Latinorum*). Nam in eo Canone Artic. VII. pag. 47. ad Antecessores Sacrae Theologiae conversa oratione haec dicuntur „ In materiis Theologiae, ut „ explanentur dogmata fidei Christianae, & Lex Divina, „ sint Magistri versati in Sacra Scriptura, ut sciant regulas, quibus intima, & essentialis vis, ac sensus Scripturarum cognoscatur, & ut omnia dogmata auctoritate Scripturarum confirment; & ut hoc assequantur, debent cum magna diligentia legere libros SS. Patrum, & quidem talium, qui ex professo scripserunt de dogmatibus pro necessitate discordiarum in Ecclesia exortarum cum proposito eradicandi haereses. Nam sunt antiqui Auctores specialiter tractantes materiam de dogmatibus, quorum hic de una, alter de altera materia scripserat; exempli gratia, De Mysterio Trinitatis Gregorius Nazienzenus in V. Sermonibus suis Theologicis, & *Augustinus* in Libris de Trinitate, ac Divinitate Filii Dei. Praeter hos Athanasius Magnus in V. Libris contra Arianos: De Divinitate Sancti Spiritus Basilius Magnus in V. Libris contra Eunomium: De Hypostasi Cyrillus Alexandrinus contra Nestorium: De duabus Naturis in Christo sufficit

„ una Legatio *Leonis Papæ Romani* ad Flavianum Patriar-
„ cham Constantinopolitanum : De peccato Originali , &
„ gratia Dei Augustinus in multis Libris contra Palagia-
„ nos &c. Ad hunc finem insuper satis utiles sunt Actus,
„ & Decisiones Generalium, & Provincialium Synodorum„
(debuit autem Statutum hoc Ruthenum de Generalibus Synodis fateri , ejus Definitiones de fide , & moribus dogmata esse fide Theologica credenda , quoniam Ecclesia in Œcumenicis Conciliis legitime , & in Spiritu Sancto congregatis auctoritate Romani Pontificis, Ipso praesidente per Se , seu per suos Legatos , & Ipsius potestate confirmatis, infallibilis est : Nisi velimus Statuti hujus ita explicare sensum, ut non de fidei, & morum definitionibus loquatur, sed de Actibus , & Decisionibus , quibus disciplinæ Ecclesiæ regulas Generales Synodi tradunt : Neque debuit Statutum taliter Synodos Generales cum Provincialibus sociare itaut æqualem eas habere auctoritatem seu ad doctrinam , seu ad disciplinam videri legentibus posset) „ A talibus Auctoribus (pergit Statutum) uti Magistris concomitante auctoritate Sac. Scripturae non inutiliter „ (verius dixisset „ optime) „ tractabitur studium theologicum , & licet Magi-
„ ster Theologiæ possit & a Recentioribus aliùs Confes-
„ sionis Doctoribus quærere aliquod juvamen , non de-
„ bet doceri ab iis , & acquiescere eorum expositionibus,
„ sed tantum manuductionem eorum sequi , & videre, qua-
„ libus ipsi ex Scriptura , & ex contiguis Ecclesiæ Doctori-
„ bus utantur argumentis &c. „ . Igitur ex sententia Statuti Rutheni , etiam Doctorum alterius communionis Opera ab Clero suo , & a Magistris suis, profunda animadversione , & voluntate sincera veritatis inveniendæ , adiri , ac legi possunt ; quidni etiam debeant , celebriores saltem ? Ast multi Theologi ex nostris præclari nominis pro dogmatibus , quæ Latina Ecclesia tenet, negantque cum Græcis Rutheni , scripsere firmissime , ac probarunt ea contineri in Sac. Scriptura , tradi a SS. Patribus , definita esse in Generalibus Conciliis ; quod & nos , tamquam abortivi , & omnium minimi , in memoratis duobus Opusculis nostris præstitimus ; Ergo ab iis recipiendis , & tenendis dogmatibus , ex ipsiusmet Statuti sui confessione, se abstinere Natio Ruthena non potest, abjectis contrariis erroribus suis,

XIV. (*In Conc.Florentino asseruerunt PP. ea dogmata, quæ ab illo definita sunt, auctoritatibus etiam SS. PP. utriusque Ecclesiæ Græcæ, ac Latinæ*). Sane in Œcumenica Florentina Synodo in medium allati sunt Codices SS. Patrum, præsentibus, & disceptantibus Græcis tunc adversariis; ac post multas collationes, atque tractatus, consentientibus Græcis, quibus circa Catholicas veritates victoriam Latinis invidere amplius datum non est, quive ultra negare non potuerunt, quæ isti asserebant, tandem definitiones a Summo Pontifice Eugenio IV. decretæ, ac latæ sunt, & ab omnibus præter unum contumacem Marcum Ephesinum, acclamatæ. (*Synodus Florentina vere œcumenica fuit, quod confiteri debuit Niphon Patriarcha Constantinopolitanus*). Synodum hanc fuisse vere Œcumenicam confessus est publico, ac solemni Actu Niphon Constantinopolitanus Patriarcha a Romanæ Ecclesiæ communione alienus in doctrinali Responso. Quum enim, sæculo XV. vergente ad exitum, Joseph II. Kioviæ Metropolita Ruthenus de quadam eum consuluisset orta quæstione, Niphon respondit Epistola, quam refert Raynald. ad an. 1486. n. 62., quamque protulit ex Annalibus Russiæ Leonis Creusæ Archimandritæ Vilnensis, & ab Opere Leonis Manaonitæ, quo iste S.Unionem ab impetitis defendit. In ea Epistola Niphon Metropolitam Josephum hortatus fuit, ut communionem, & fidem Romanæ Ecclesiæ amplecteretur servatis ritibus Græcis; quippe quod vere Œcumenicum fuerit Concilium Florentinum, præsentibus Imperatore Joanne Palæologo, Patriarcha Josepho, aliorum Patriarcharum Vicariis, Archiepiscopis pluribus, ac Summo Romano Pontifice una cum multis Latinis Præsulibus, in eoque Græci omnes alicujus nominis Antistites cum Latinis consenserint; sed a Clero inferioris Ordinis, asserit Niphon, tam necessariam pacem abruptam fuisse, quo Græci quotquot sunt in servitutem acti fuere. (*Quum nonnulli Orientales respuissent Decretum Unionis Florentini Concilii; hinc Græca Ecclesia in anarchiam conversa est*). Addit ille, duritiam aliquorum e Clero ipso, qui in Oriente remanserant, respuerantque Decretum Florentinæ Unionis, in causa fuisse, cur Græca Ecclesia in abyssum se præcipitaverit discordiæ, & Anarchiæ. Forte (fatetur Niphon) Di-

vinæ justitiæ, ac vindictæ onus super nos manet, quia Unionem noluimus amplecti, ac si Latinorum auxiliis destituti sumus, a nobis ipsis hoc malum est. Denique ille ipse testabatur, Græcos omnes sub ditione Venetorum agentes monitos, jussosque a se esse, ut a communione Latinorum nec transversum unguem discederent, non abjectis tamen ritibus Græcis; ad Principes vero, Episcoposque tum Luthuaniæ, tum Russiæ litteras a se datas, ut ab obsequio, & veneratione Metropolitæ Kioviensis nec vel tantillum deviarent. Hanc dedit ille Epistolam Constantinopoli anno Mundi 7000. 5. Aprilis Indictione XI.

XV. (*Infelix admodum spiritualis anarchiæ status, in quem cadunt qui a supremo Ecclesiæ Capite Romano Pontifice sese subducunt*). Optime de Ecclesia Græca scripsit Patriarcha iste Constantinopolitanus, in miseram Anarchiam fuisse eam devolutam. A Capite Summo Ecclesiæ Catholicæ, (quam Dignitatem soli Romano Pontifici inhærere evicimus præsenti Opusculo per totum) quum se infeliciter subduxisset, acephala facta est; hinc & membra illius mystici corporis in maximo constituentur discrimine huc illuc errandi; sine principe Ductore a debita Supremo, universalique Pastori præstanda obedientia se subtrahentes Episcopi, ac Sacerdotes, unusquisque (saltem ex Patriarchis) jus dicet sibi, subditisque personis; ex quo consequens est, ut a centro Unitatis, quem D. N. J. C. constituit, recedentes Ecclesiæ Ministri, atque fideles excentrici fiant; absque Capite corpus evadat informe; & extra supremam Ecclesiasticam regulam viventes in Anarchiam jugiter revolvantur. Id, quod de sua Græca Ecclesia cognovit Niphon, potiori urgente ratione de Ruthenis affirmare oportet. (*Ex quo Rutheni Summo Pontifici obedire detrectarunt in schisma, & hæreses prolapsi sunt*). Enim vero, statim ac & ipsi Græcis copulati dogma Primatus Romani Pontificis cum auctoritate suprema per totum Orbem, aliaque fidei Catholicæ capita, quæ Romana Ecclesia tenet, negare ceperunt; unaque cum Graecis obedientiam ipsi Summo Pontifici præstare seu neglexerunt, seu etiam noluerunt, statim, inquam, in schisma, & hæreses eos incidisse consequens fuit, ex iis, quæ referunt, & habent Bossuet in Collat.

cum Protestante Doct. Molano (Tom.14. Opp. Edit. Leodien. 1767. pag.133.); nec non Auctor Denfens. &c. Cleri Gallicani Par.3. lib.10. cap.7.(relat. sup. in Opusc.præs.). Siquidem meminit Bossuet Formulæ in Ecclesia clarissimæ, quam edidit doctissimus Papa S.Hormisda, quæ „ Formula „ (ait) inscripta est „Regula Fidei „ in qua S.Leonis Epistolas, & Chalcedonensem Synodum receperunt „ (Episcopi Orientis) ; „ Sedem vero Apostolicam agnoverunt his verbis, „ Prima salus est regulam veræ fidei custodire, & a Constitutis Patrum nullatenus deviare, & quia non potest D.N.J.C. „ prætermitti sententia dicentis „ Tu es Petrus &c. „ . . . „ Unde sequentes in omnibus Apostolicam Sedem , & prædicantes ejus omnia Constituta, in qua est integra, & „ verax Christianæ religionis soliditas „ . Huic igitur,„ (addit. Bossuetius) „ fidei omnes Episcopi subscripserunt, „ Sedisque Apostolicæ ut a Petro descendentis auctoritatem, „ & Constituta susceperunt. Quæ Formula in toto Oriente „ solemnis, sæpius postea, ac maxime sub Agapeto PP. semel & iterum a Justiniano Imperatore subscripta est „. Auctor vero Defens. postremam partem Formulæ ejusdem refert his verbis conceptam. „ Promittens etiam sequestratos a communione Ecclesiæ Catholicæ, idest non in „ omnibus consensientes Sedi Apostolicæ , eorum nomina „ inter sacra non recitanda esse Mysteria &c. „ ; testaturque deinde„. Hanc professionem eodem animo, eadem consensione, additis subinde hæresibus, atque hæreticis , qui „ suis temporibus Ecclesiam conturbassent per secuta sæcula frequentatam scimus. Hanc, uti S.Hormisdæ PP., Sanctoque Agapeto , ac Nicolao I. omnes Episcopi fecerant, „ ita eisdem verbis Hadriano II. PP., Nicolai Successori, „ factam in Concilio VIII. Œcumenico legimus. Hanc ergo „ ubique diffusam , omnibus sæculis prorogatam , & ab „ Œcumenico Concilio consecratam quis respuat Christianus „ ?

XVI. (*Formula S. Hormisdæ PP. Regula fidei est*). Sunt hoc loco (quoniam ad rem nostram) nonnulla gravissime consideranda. Principio quidem ; solemne hoc Monumentum , „ Regulam Fidei „ inscriptum haberi, eique proinde, ut Fidei Regulæ omnes Orientis , & Occidentis Episcopos

subscripsisse, & ut Fidei Regulam ab Ecclesia Catholica eam acclamatam fuisse, habitam, atque retentam, adeout nemini Christiano dubitare liceat, illam continere fidei Divinæ professionem; unde a vera fide alienos vagari omnes, qui ab ejus doctrina recedunt. (*De fide sunt omnia, quæ docet ut dogmata fidei Catholica Romana Ecclesia*). II., quoniam hac Formula omnes Episcopi Catholicæ Ecclesiæ (qui ei subscriptione sua, damnantes hæreses, & veluti contra hæreses antidoto variis temporibus adhæserunt) protestati sunt, ac spopondere, sequi se Apostolicam sedem, & omnia ejus Constituta prædicare, *quoniam prima salus est regulam veræ fidei custodire, & a Constitutis Patrum nullatenus deviare, nec prætermitti potest Sententia Divini Servatoris ajentis „ Tu es Petrus &c.*, hinc necesse est concedere, de fide esse quæcumque Romana h. e. Catholica Ecclesia, ut fidei dogmata tradit, ac tenet. (*Hæc semper de fide sunt; ac proinde qui ab hac fide quocumque tempore desciscunt in hæresim, & schisma incidunt*). III. Doctrina autem ab Ecclesia habita, ut Catholica, & de fide (qualis est inter ceteras ea, quæ continetur in Regula Fidei a S.Hormisda dictata), semper de fide est, eritque per omne tempus usque ad consumationem sæculi, quoniam nusquam transituro Verbo Dei, qui est suprema veritas, nititur fides Ecclesiæ; igitur si quis aut privatus homo, aut Populi etiam, atque Nationes ab ea fide desciscunt, hæresis, & schismatis notam eo ipso subeunt, quo ab hujuscemodi doctrina, & a Regulis eam tradentibus se avelli patiuntur. A doctrina autem, quam de fide habuit, & habet Ecclesia Catholica, quamque Majores ipsorum, ut Orthodoxam professi sunt, tum Græci, tum & Rutheni recesserunt, sicuti nos animadvertimus; ergo Orthodoxiam amisisse eos sequitur ex præjactis. (*Qui in omnibus non consensiunt Sedi Apostolicæ in pœnam hæresis, & schismatis incurrunt*). IV. Sed & hoc ipsum in memorata Regula Fidei expresse continetur; nempe promittitur etiam „ *sequestratos* a communione Ecclesiæ „ Catholicæ, id est non in omnibus consentientes Sedi „ Apostolicæ, eorum nomina inter Sacra non recitanda es„ se Mysteria„; hæc formidanda pœna in hæreticos fertur ab Ecclesia, inque Schismaticos,

XVII. (*Natio Ruthena Dissidens in profundum ruit Anarchiæ*). Dum autem hæreseon, Schismatisque mala participare cum Græcis voluit Ruthena Natio, inde in profundum etiam Anarchiæ ruit & ipsa cum Græcis; quod Episcopos Mochos satis liquet cognovisse. Siquidem, quum, regnante Imperatore Petro illustri hujus Nominis I., actum est de unione cum Romana, Latinaque Catholica Ecclesia, Antistites hi de sententia rogati a Principe, hoc dedere responsum; quod de gravissimo negocio ut opportune ageretur oporteret aut Generale Concilium convocare, seu ad minus publicas Conlationes habere, quæ auctoritatem acciperent per litteras datas ab utraque Ecclesia; aliunde vero nequire ipsos quicquam moliri, nisi auditis prius Nationibus, quæ hanc rem cum ipsis participant, ac præcipue quatuor Orientis Patriarchis (Relation de Demarches &c. pour la reunion de l'Eglise de Russie &c., inter Opp. Boursier To.III.). Quo Responso suo (ad eludendum potius vim veritatis a Latinis proponendæ, quam ad agendum vera, sinceraque voluntate dato) apprime ostendunt, Ecclesiam Græcam nullum habere supremum Caput, dum de Nationibus verba faciunt, ac de quatuor Patriarchis, veluti de iis, qui æquali inter sese fruuntur potestate; quod idem est ac quatuor in Ecclesia Græca Capita constituere: Ruthenam autem Nationem pariter declarant Capite summo destitui, quoniam de Capite suo altum in eo Responso silentium; ac jure quidem, nam Synodus permanens Petropolitana, nec Caput, necCorpus Ruthenae Ecclesiae dicenda est quum *non omnes* Episcopi sedem in ea, vocemque habeant, sitque sineEcclesiastico supremo vertice: Ad haec; necessitatem convocandi GeneralisConcilii proponuntEpiscopi illi; ast ludere eos patet, qui dum Primatum jurisdictionis in universum Orbem a J. C. concessum Romano Pontifici inesse negant, deficiente summo totius Ecclesiae Capite aut possibilitati convocandi Generale Concilium, ejusque Decreta confirmandi firmissimum ponunt obicem, aut de Concilio acephalo loquuntur, cujus fallacissimum judicium, & illegitimum nusquam Summus Pontifex, & cum ipse Latina Ecclesia auctoritatis suae pondere communiet. Quid

plura ut intelligatur, quod in anarchiae barathrum quis prolabitur eo ipso, quo ab unico legitimo supremo Ecclesiae Capite Romano Pontifice se subtrahit? Sed ulterius, Deo justissimo omnium moderatore permittente, Moscuae Patriarcha, Rossorum Clerus, & populus sub Principe Petro I. destituti sunt.

XVIII. (*Romanus Pontifex Caput visibile est Corporis mystici J. C., unde ei adhærere necessarium est cuicumque Catholico*). Prudentiores equidem, ac Catholicae doctrinae adhærentes eorum Majores (quousque in fide steterunt sibi tradita ab Apostolis suis Dei Servis, qui Evangelium Populis Ruthenis, ut caeleste donum attulerunt) cum Romano Pontifice, vel cum Constantinopolitano Patriarcha tunc cum iste ipsum Petri Successorem ut Ecclesiae totius verticem venerabatur, firmissimam societatem retinuerunt; Quapropter Capiti, quod J. C. Mystico Ecclesiae suae corpori praeposuit, subdebantur, quemadmodum in hac Appendice actum est. Hoc necessarium esse omnino, sicuti est, ipsis erat persuasissimum; nam, Ecclesiam J. C. corpus esse mysticum pluribus in locis docet Apostolus Gentium, ad Ephes. 1. 23. „ Ecclesiam, quae est Corpus ipsius „ & ad Corinth. 1. 12. a vers. 12. usque ad finem Capitis „. sicuti enim Corpus unum est . . . . ita & Christus &c. „ & vers. 27. „ Vos autem estis Corpus Christi, & membra de membro &c. „; Si autem Corpus Christi est Ecclesia, numquid sine Capite (quod Christus ipse dedit) B. Petro Apostolo, ac Romano Pontifice ejus Successore stare potest? Numquid est Monstrum? Quis umquam tam impie blasphemabit? Quicumque ergo non credat, in Ecclesia Caput esse Supremum, ab Ecclesiae corpore alienus est; pariterque omnis, qui ab istius Capitis fide, communione, obedientia alienus vivat, membrum est a corpore praecisum, ac putridum, nec ad corpus pertinens Christi. (*Præter invisibile Caput J. C., oportet Ecclesiam Catholicam Caput habere visibile*). Neque puto, Ruthenus quispiam respondeat, quod, cum sit Ecclesiae invisibile Caput Dominus N. J. C., alíud Caput non oporteat, nec ullus possit invehere. Enimvero, visibile etiam Caput ex institu-

tione Christi habere Ecclesiam toto hoc Opusculo probavimus, quod certe ad rectam, sanctamque ipsius Ecclesiae gubernationem necessarium esse, ne sint haereses, & schismata, manifeste sequitur ex allegata Epistola S. Pauli I. ad Corinth.; ac tum SS. Patres, tum Œcumenica Concilia semper docuerunt ab initio. Non esse hoc responsuros Ruthenos dixi, quia ab erroribus Lutheri, aliorumque Luthero adhaerentium maxime alieni sunt, eosque execrantur. Videantur, sup. Op. (Num. IX., & XLII. n. 45. in S. Thoma), & infr. Append. II. (Cap. I. & II.).

(*Quum Ecclesia una sit, sequitur, eam esse veram, & Catholicam, quæ est sub Capite supremo visibili Romano Pontifice*) Sed & corpus istud Mysticum *unum est*, ob quod inter Ecclesiae dotes ad ejus essentiam pertinentes recensetur *unitas*. Habent, & tenent Rutheni Symbolum fidei, de quo Plato, Archiepiscopus Moscuae, & Kalugae, ac Membrum Synodi Moscovitae in Cathechesi Rossiaco idiomate scripta ad doctrinam tunc Magni totius Russiae Ducis, ac dein Imperatoris Pauli I., (quae Cathechesis edita fuit Typis Accademiae Imperialis Petropoli an. 1766.), ait Part. II. Tit. de Fide Evangelica, in ipso inveniri Compendium omnium eorum, quae continentur in Scripturis Sanctis, idest in Libris Veteris, & Novi Testamenti, in Libris Prophetarum, & Apostolorum: In dicto autem Symbolo dicitur „ Credo ... „ Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Eccle- „ siam „. In hoc Opusculo „ De Primatu „ ex Verbo Dei scripto, ac tradito, ex doctrina nempe contenta in sacris Paginis, ac tradita nobis ab Œcumenicis Conciliis, Sanctisque Patribus (quos audiendos, ac suscipiendos in citato Canone suo Moscovitica jubet Ecclesia), ipsisque Rossis a suis Sanctis Apostolis prædicata, demonstratum a nobis est, unum B. Petrum a Divino Servatore fuisse assumptum ad regimen totius Ecclesiæ, & Caput Dominicæ Domus constitutum, supra etiam ipsos Apostolos; & ab Eo hæreditatem, ac potestatem Primatus istius ex institutione J. C. Successores suos in Cathedra Romana accepisse in ævum prorogandam; hinc, cum Ecclesia una sit, ideoque nulla vera sit Ecclesia, quæ ab ejus unitate divisa reperiatur, sequitur,

illam unam Ecclesiam veram esse, atque Apostolicam, quæ sub Supremo Capite Petro, ac ejus legitimo Successore Romano Pontifice permaneat, eique indivulse conjuncta sit communionis, ac fidei vinculis; alias autem Ecclesias, quæcumque eæ sint, veræ Ecclesiæ notas sibi usurpare non posse. *Unitas* siquidem ab eo solo continetur, conciliatur, servatur, qui centrum Unitatis est, ac Caput a Domino Jesu Ecclesiæ datum; sicuti in humano corpore accidit cui Ecclesia, mysticum Christi Corpus, debita servata proportione, ac dignitate, assimilatur. (*Probatur aliis etiam argumentis necessitas Capitis visibilis in Ecclesia*). Si ad *unitatem* instituendam, atque servandam usque ad Mundi finem sufficiens esse proponat quis, Ecclesiam ab invisibili Capite Jesu Christo gubernari, nec ideo requiri, ut visibile etiam Caput introducatur, qui eam visibiliter regat, ille Ecclesiam invisibilem, non visibilem, cum Luthero, aliisque constituet; Ecclesiam Prædestinatorum tantum similem triumphanti, quæ non eget lumine solis, & lunæ, quia Dominus illuminat eam, & lucerna ejus est Agnus, & in qua nihil inquinatum introibit, nec abominationem faciens, aut peccatum, ponat necesse est. Ast Ecclesia militans in Divinis Scripturis Areæ comparatur, in qua grana sunt mixta cum paleis; sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti. Unde, quamvis dare velimus, pios, ac sanctos, qui sunt in Ecclesia nihil inordinatum molituros (sed quotidie etiam justi confitentur „ Dimitte nobis debita nostra „ & timidæ, ac incertæ providentiae nostrae; corpus enim, quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem, ex quo justi ipsi in errores nonnumquam incidunt in judicando, errantque in agendo); nihilominus impii, rebelles, turbidi, vitiisque sua voluntate implicati pacem Ecclesiæ turbabunt quam frequentissime, ac Divina jura pessumdabunt, si centrum, atque totius corporis visibile Caput non reperiatur, ad quem homines visibiles, spiritu, & corpore constantes, referant ea, quæ ad fidei integritatem immaculatam servandam, ad mores in justitia Dei continendos, ad disciplinam Ecclesiæ seu instituendam, seu retinendam sunt necessaria. Siquidem unusquisque (Episcopus maxi-

me) omnia constituere praesumeret , quae sibi lubita forent ; nemo ex Christifidelibus alterius potestati se subjiceret , quia excluso Supremo visibili Capite , etiam inferiorum Praelatorum visibilium potestas sileat oportet ; hæreses impune quisque componeret , ac spargeret , omnis nempe , qui ex diabolo est ; confusio perpetua maneret in Ecclesia , dum quisque ad exscusandas exscusationes in peccatis jactaret , se a Christo regi , & cum Christo invisibilem habere communionem ; proindeque vera introduceretur Anarchia (in quam devolutos esse Graecos , scripsisse Niphonem ; & in qua reperiri Ruthenos dixisse eorum Episcopos supra vidimus) , contra promissa Dei de Christi Ecclesia dicentis (Cant. 6. 3. 9.) quod esset futura „ terribilis ut Castrorum acies ordinata „ . Audiatur & aliud S. Thomae Aquinatis ab intrinsecis petitum argumentum (Sum.con.Gen. cap.76. sub num. 4.) : „ Si quis autem dicat , quod unus „ Caput , & unus Pastor est Christus , qui est unus unius „ Ecclesiae Sponsus , non sufficienter respondet . Manifestum est enim , quod Ecclesiastica Sacramenta ipse Christus perficit : ipse enim est qui baptizat , ipse qui peccata remittit ; ipse est verus Sacerdos , qui se obtulit in Ara „ Crucis , & cujus virtute Corpus ejus in Altari quotidie „ consecratur : & tamen quia corporaliter non cum omnibus fidelibus praesentialiter erat futurus, elegit ministros, „ per quos praedicta fidelibus dispensaret , ut supra (c.74.) „ dictum est . Eadem igitur ratione , quia praesentiam „ corporalem erat Ecclesiae subtracturus , oportuit , ut „ alicui committeret , qui loco sui universalis Ecclesiae gereret curam. Hinc est, quod Petro dixit ante Ascensionem: „ Pasce oves meas „ (Joan. ult. 17.) & ante Passionem : „ Tu „ iterum conversus confirma fratres tuos „ (Luc. 22. 32) ; „ & ei soli promisit (Matth. 16. 19.) : „ Tibi dabo claves „ Regni Caelorum „ : ut ostenderetur potestas clavium per „ eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiae unitatem „ .

XX. (*Calumnia est , quod Romani Pontifices ad terrenam in universo Orbe Monarchiam acquirendam anhelent*) Fortiora sunt hæc , vividioraque argumenta quam ut possint a Dissidentibus superari , ac fortasse plures inter ipsos hæc co-

gnoscunt, sed aliqua, quæ nos lateat, aut saltem non pateat hominibus, impellente causa ore negant, accusante conscientia. Hinc convicia & ipsi (quemadmodum postremæ ætatis Novatores) in Sedem Apostolicam jactant, atque Latinos: Romanos enim Pontifices in oculis imperitæ multitudinis effingunt adeo tetris coloribus, amarisque dicteriis impetunt, ac si essent monstra ambitionis, qui ad universalem, nempe in totum Orbem sibi subjiciendum, terrenam Monarchiam hianti ore sitirent, & quibuscumque modis ad eam obtinendam anhelarent. Quibus in omni mansuetudine, sicut decet, & fas est veritatis Divinæ Assertori, respondebimus, vocantes eos, qui nos impugnant, ad cor ipsorum, eosque rogantes, ut deposita in nos amaritudine serio meditentur, quæ a sacratissimo Florentino Concilio quoad Primatum Summi Pontificis definitum est. (*Definitio Concilii Florentini de Primatu Summi Pontificis omnem excludit ideam universalis terrestris Monarchiæ*) Retulimus in initio hujus Opusculi verba Concilii; sed præstat nunc ea repetere „ Definimus (inquiunt PP.) Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere Primatum, & ipsum Pontificem Romanum Successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem existere; & Ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a Domino N.J.C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum in gestis Œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur „. Definit igitur Florentina Synodus, Sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum Orbem tenere Primatum, utpote qui Successor est B. Petri Apostolorum Principis; ast numquid B. Petrus universalis terreni Imperii habuit Principatum? Numquid habuerunt aliquot sæculis ejus Successores Summi Pontifices? Minime certe; & tamen definitio hæc Florentina, quæ definitio fidei est, usque ab initio verificari debuit, debebitque semper in posterum, quum fides una sit, & a Deo sit, proindeque deficere nec potuerit, nec possit usquam. Ad hæc; definit Concilium, Summum Pontificem Christianorum Pa-

trem, & Doctorem existere; *omnium Christianorum* (inquiunt PP. Florentini) non Principem Sæculi, sed *Patrem*, *&* *Doctorem*. Insuper definit, Ipsi in B. Petro pascendi &c. *universalem Ecclesiam* (non Imperia, Regnaque terrena) a Domino N.J.C. plenam potestatem traditam esse; quibus verbis docet, tum B. Petro, tum & Successoribus suis Pontificibus Romanis a Christo collatam supremam in universum Orbem Primatus Dignitatem, qua pascerent, regerent, gubernarent Ecclesiam Catholicam. Numquid Petrus, qui reliquit omnia, & secutus est Christum ad Monarchiam temporalem totius Orbis inhiabat? Numquid in tantam animi vilitatem, ut totius Terræ terrestre dominium procurarent, tot Romani Pontifices prolapsi sunt, qui pro Christi gloria tradiderunt semetipsos, & quorum ,, alii distenti sunt non suscipientes redemptionem, ut me- ,, liorem invenirent resurrectionem. Alii vero ludibria, & ,, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres; la- ,, pidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gla- ,, dii mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus ca- ,, prinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non ,, erat Mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & ,, speluncis, & in cavernis terræ ,, (ad Rom. 11. 35.seq.), imo & vitam, & sanguinem pro Christo profuderunt? Quot enim ex Romanis Pontificibus Martyrium etiam constantissime sustinuerint non a nobis, sed ab historiis instruatur quicumque volet; & hi Primatum Apostolicum, sicut a Christo acceperant, fideliter custodierunt, & sine querelis (quas moderni in hanc Dignitatem gratis jaciunt non probantes, sed asserentes) usque ad gloriosam mortem tenuerunt.

XXI. (*Nos autem unam fidei definitionem a Concilio Florentino editam asserimus*) Quid nam in toto contextu Florentinæ Definitionis (quæ Fides est, quam prædicamus) reperitur, quod sapiat temporale, aut terrenum? Quid Monarchiam redolens terrestrem? aut quænam idea temporale totius Orbis Imperium, aut Regnum importans? Nil certe hujuscemodi. Ut quid ergo insurgunt Dissidentes, & obloquentes calumniantur, aliud non esse profiteri dogma, de quo loquimur, quam ab Oriente in Occidentem, & a mari

usque ad mare Sæculi Principem constituere Petrum, & Petri Successores? (*Et quæstiones inter DD. Catholicos actas, nec ab Ecclesia definitas in suo statu relinquimus*) Novimus, quæstiones plures inter Catholicos ventilari Doctores quoad indirectæ potestatis Pontificiæ seu vim, seu etiam limites, ac circa infallibilitatem Summi Pontificis, & quædam alia, pauca quidem; firma tamen penes omnes istos manente fide Primatus universalis, quam asserimus. Sed numquam Romani Pontifices, nec cum ipsis Catholica Latina Ecclesia fidem exigunt, & captivitatis intellectus obsequium circa ea, quæ ab eadem Ecclesia definita non sunt (in quorum numero disceptationes hujusmodi recensentur); quæque salva fide, ac unitate a Doctoribus etiam Catholicis possunt disputari; ipsaque sciente, ac silente Ecclesia, revera disputantur inter eos. Quare itaque in faciem nobis maledicunt Dissidentes, ac si velimus dogmata constituere in iis, quæ dogmata haud sunt? (*Absurda res est ab Ecclesiæ Catholicæ fide, & communione recedere intuitu quæstionum, quæ salva eadem fide disputantur*) Quare intuitu quæstionum inter Catholicos, Ipsi a Romanis Pontificibus segregarunt seipsos, ac segregati vivunt negantes, quæ dogmata sunt solemnibus Ecclesiæ Catholicæ definitionibus, ac professione sancita? Sed quoad hanc disputationem de indirecta Pontificis Petri Successoris auctoritate, liceat nobis hic referre suavitatem, prudentiam, & charitatem redolentia scita S. Francisci Salesii Episcopi Genevensis, ac Sabaudiæ luminis, in cujus festiva anniversaria die orat Ecclesia Deum, ut Divinæ charitatis *dulcedine perfusi, ejus dirigentibus monitis, ac suffragantibus meritis æterna gaudia consequamur*; quæque aptari etiam possunt aliis controversiis ab Ecclesia Catholica nondum definitis. Ad quemdam siquidem sibi amicitia conjunctum scribit S. Episcopus (Epistol. lib. 7. Epist. 58.): „ Nec placuere mihi scripta quædam sancti,
„ atque excellentissimi cujusdam Præsulis, in quibus de
„ auctoritate indirecta Papæ supra Principes verba fecit;
„ non jam, quod ego de hac re judicaverim pro affirmati-
„ va, vel negativa sententia, sed quod hac ætate (fortius
„ ævo nostro talia dixisset ille), quæ tot inimicis, qui
„ sunt extra Ecclesiam, redundat, puto, inopportunum

,, esse aliquid vel movere disputationis in Corpore mystico ,, Ecclesiæ ,, ; hoc est, Catholicos inter sese disputare: Et in alia Epistola (lib. 7. Epist. 48.) ,, In terris equidem vivo Principis, qui jugiter præ ceteris honorem, & reverentiam detulit S. Apostolicæ Sedi; nec aliqua ratione verbum ullum audimus, quod Summus Pontifex vel minimum in administratione temporalium rerum dominii hujus implicet sese, neve quod supra Principem, vel ejus Administros exerceat quoquo modo, aut sibi sumat auctoritatem. In hac parte quietam, & tranquillam agimus vitam . . . . Quare volentes imaginamus Pontificia consilia, ad contentiones excitandas adversum eum, quem oportet nos diligere, honore prosequi, & obsequio, ut Filios, & oves verum Patrem nostrum, atque Pastorem? Ex abundantia cordis dico . . . . gravissimum mihi esse dolorem, quum sciam, disputationem hanc de auctoritate Papæ lusum esse, & obloquutionum causam his, qui imperiti cum sint, eam dilaniant, ac dilaniantes, sanctam Catholicorum unanimitatem perturbant, æque impedientes conversionem hæreticorum. ,,

(*Respondetur convicio de addita Symbolo particula-Filioque*) Quod si Rutheni insuper conviciis Latinos impetant ob adjectam Symbolo particulam ,, Filioque ,, , huic criminationi plenissime respondimus in alio Opusculo nostro: ,, De Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio ,, , in quo evicimus, jure, ac rationabiliter Ecclesiam additionem ,, Filioque ,, Symbolo inseruisse, unde apparet, injuria Græcos eam exprobrare Latinis.

XXII. (*A prima Ecclesiæ ætate Romam itum est tamquam ad Catholicæ communionis portum tutissimum*) Quibus omnibus, quamvis imperito calamo, nihilominus verissime dictis, Ruthenam Nationem libentissime revocabimus ad Majorum, Sanctorumque exempla. Semper olim factum, ut Romam, tamquam ad aliarum omnium Ecclesiarum Metropolim, & Caput, in fidei rebus concursum sit. Viden. S. Athanasii (cujus nomen ob præclara doctrinæ, & sanctitatis merita toto Orbe refulget) Epistolæ ad Julium, & Marcum Pontifices, & passim Emus Baronius in Annalibus. Sed & S. Hieronymus in Vita S. Marcellæ Cap. 4. in-

quit „ Hæc (Sancta Marcella) ab Alexandrinis prius Sacer-
„ dotibus , Papaque Athanasio , & postea Petro , qui per-
„ secutionem Arianæ hæreseos declinantes , quasi ad tutis-
„ simum communionis suæ portum Romam confugerant ,
„ vitam B. Antonii &c. „ (*Exhortatio*) Tandem conceptum dolorem non abscondemus ; horroremque nostrum ex Divinæ justitiæ consideratione iis , ad quos est sermo , indicabimus. Legimus in timore verba Regis Psalmistæ (Psalm.68. vers.27.) „ Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum , &
„ in retributiones , & in scandalum „ ; Nam Mensam esse lectionem SS. Scripturarum , unde pascantur animæ fidelium veritate Divina , tradunt SS. Patres . Hæc lectio , quæ in seipsa sancta , ac salubris est cogitatio , cibusque animæ salutaris , in laqueum fit , in retributiones , & in scandalum iis , qui sacrarum Paginum sententias suo sensu audent interpretari contra eum , quem tenuit , ac tenet Catholica Mater Ecclesia , cui soli a Christo Jesu data est potestas , ac infallibile Magisterium ad Sacræ Scripturæ interpretationem . Hunc certe , quem eadem Ecclesia tradit , docetque , sensum rejiciunt Moschi in iis omnibus , in quibus dissident a Latinis Summo Pontifici adhærentibus , atque conjunctis . Videant , ac jure metuant , dum Mensa Divina Scripturarum fit coram seipsis in laqueum , & in retributiones , & in scandalum .

APPENDIX SECUNDA

Ad Lutheranos, Novatoresque Sectarios postremæ ætatis.

I. (*Occasio scribendi*) Quod Paulus Apostolus accepit revelante Deo dum per noctem visio ei ostensa est: „ *Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adjuva nos* „ (*Act. Apost.* 16. 9.) hoc spiritui nostro quodammodo intonuit, ut & cum ultimæ ætatis Novatoribus loqueremur. Dissidentes Græcos, itemque Ruthenos suasimus in multis argumentis disserentes, obsecravimusque, ut propriæ salutis memores Catholicæ Latinæ Ecclesiæ sanam doctrinam accipiant, eique sacro vinculo communionis adhæreant. Nunc igitur, quoniam & de vobis, Novatores, sollicitudinem firmam, ac ab omni mundana seu ambitione, seu cupidine, & ab alio quocumque pravo, vel humano fine alienissimam, corde concepimus, & usque ad finem, Deo adjuvante, servabimus, verba salutis, & Divinæ fidei veritates annunciamus vobis, quemadmodum cum Graecis, & Ruthenis fecimus, „ *ut & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio Ejus Jesu Christo* „ (*Joan.* 1. 1. 3.)

II. (*Proœmium*) Ut autem statim, quæ vestra sunt attingamus; præstat amandare vos *ad Proœmium hujus Opusculi*, quum valde intersit, ut hoc Proœmium, & Opusculum ipsum serio, & spiritu ab omni præoccupantis passionis affectione expurgato legatis, ac meditemini, ne veritas, occlusis cordis januis, primo repellatur accessu; Nisi enim odii in nos Catholicos, ac præsertim in Romanum Pontificem, aut pravæ institutionis a primordiis, aut alterius præjudicatæ opinionis fumus a cordibus vestris abscedat, & a coinquinantium passionum cœno purgetur animus, impossibile fere est, ut abrenuntietis erroribus, quibus dudum servi facti estis, & ad Catholicæ Ecclesiæ sinum confugere voluntarie, ac firmiter constituatis. Superstitionis erroribus, ac præjudiciis fascinati Idololatræ, & mortali

odio in Christianam Religionem pervasi quæcumque victricia, ac etiam, ut ita dicam, sensibilia argumenta ad probationem Evangelii allata respuebant, & visui oculorum ipsi negabant fidem; Siquidem nec suaderi potuere Tertulliani calamo (Apologet. cap.4. 2.) provocantis ad miracula omnibus nota, & a Deo misericorditer in confirmationem Evangelii jugiter patrata; ac dicentis, quod si ad Persecutorum tribunalia traheretur dæmoniacus; & Christianus quisque eo appulsus ipsi loqui præciperet, non posset, quin publicaret, se Dæmonium esse, & nihilominus Divum appellari; quod adeo inconcussa fiducia loquebatur Tertullianus, ut concederet Principibus Ethnicis Christianorum persecutionem, ac sanguinis innocentum effusionem, nisi dæmon coram Christiano veritatem hanc confiteretur. Ast portenta isthæc parvipendentes idololatræ Principes, & Subditi, superstionum, & ut plurimum curiosarum artium imbuti præventionibus, non cessabant nostros crudelissime, & inhumano modo persequi ad sanguinem usque, ad tormenta, ad mortem acerbissimam. Idem dicas de Arianis, dum S. Nicetius Treverensis Episcopus ad piam mulierem Clodosindam uxorem Alboini Regis Ariani scribens signa memorabat, quæ Deus ob præclara merita, ac preces S. Episcopi Martini, aliorumque Sanctorum operabatur (penes Orsi Hist. Eccles. lib.42. num. 73.) : Pariterque de Catholicæ Religionis adversariis, ad quorum conversionem recensebat S. Augustinus prodigia, quæ ætate illa in ipsa Africa dignabatur renovare Deus „ per Sacramenta ejus, „ sive per Orationes, vel memoriam Sanctorum ejus „ (De Civit. Dei lib. 2. cap.8.). Sed, surdas spiritus aures habentes, depravatum cor, ipsam vocem cœlorum nec audiunt, neve percipiunt.

III. (*Vocatio ad Ecclesiam Catholicam*) Accipite ergo, in Domino dilectissimi, doctrinam, & dogmata Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, præcipue ea, quæ definita sunt a Sac. Conc. Tridentino, verissima certe omnia, sapientissima, ac supremam Cœli dulcedinem redolentia, quoniam verba sunt Dei. Auribus audite omnes, qui habitatis terram, quique terrigenæ, & filii hominum simul in unum dives, & pauper; retinete illa fide integra credentes: „ Au-

„ di, fili mi (ait Sapiens Proverb. 1.8.) disciplinam Patris „ tui, & ne dimittas legem Matris tuæ „; nempe Dei omnium Patris loquentis per os Catholicæ Ecclesiæ, quæ Mater est omnium sive qui vere fideles sunt, quos ut filios complectitur, sive qui fideles non sunt, sed foris sunt, aut infideles filii, quos materno amore diligit cupiens eos deducere in semitam rectam, quam ignorant, ostendens eis viam bonam, per quam ambulent: „ Fili mi (ibid.2.1. „ seqq.) si susceperis sermones meos, & mandata mea „ absconderis penes te, ut audiat sapientiam auris tua, in- „ clina cor tuum ad cognoscendam prudentiam . . . . in- „ telliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies . . . „ intelliges justitiam, & judicium, & æquitatem, & „ omnem semitam bonam . . . . Consilium custodiet te, „ & prudentia servabit te, ut eruaris a via mala, & ab „ homine, qui perversa loquitur . . . . ut ambules in via „ bona, & calles justorum custodias. Qui enim recti sunt „ (scilicet fide, & operibus) habitabunt in terra, & sim- „ plices (h. e. qui sunt mansueti in credendo, ac susci- „ piendo verba S. Matris Ecclesiæ Catholicæ) permanebunt „ in ea. Impii vero (nempe tum mala operantes, tum a „ vera fide, & scientia Sanctorum alieni) de terra perden- „ tur, & qui inique agunt auferentur ex ea „ Utque, adspirante, & adjuvante Dei gratia, qui illuminat mirabiliter a montibus æternis, quod Sapiens monet spiritu, & opere incipiatis, & perficiatis, Epistolam subjicimus a clarissimo, moribusque sanctissimo Viro, sublimi dignitate illusti, ac mihi dum viveret perdiu amicitiis, familiaritate, charitate conjunctissimo Card. Hyacintho Gerdilio ad Cl. Virum N.N. datam, prius Parmensibus, tum iterum Venetis Typis editam, quæ sic se habet.

DE RATIONE INEUNDÆ CONCORDIÆ CATHOLICOS INTER, ET HETERODOXOS EPISTOLA AD CL. VIRUM N. N,

„ Pergratæ mihi fuerunt litteræ tuae plenae officii, Vir „ clarissime, quae insigne quoddam praeseferunt, omni- „ que laude dignum de Catholica Religione benemerendi stu-

„ dium, cum eximia tuæ in me benevolentiæ significatione
„ conjunctum. Et ego quidem magnopere vellem non tam
„ longe abesse ab ea virtutis laude, quam mihi pro tua
„ humanitate tribuere voluisti, quo & perhonorificæ tuæ
„ in me opinioni aliqua ex parte respondere, & quod majus
„ est, tuis juvandis conatibus, quod cupere videris, paratior
„ possem accedere. Nihil est enim in quo Vir Catholicus
„ cogitationem omnem, & operam laudabilius insumere,
„ ac ponere valeat, quam in parandis viis, quibus
„ ad Catholicam Unitatem redeant, qui misere olim ab ea
„ desciverunt, ut qui sumus uno Baptismate abluti, una
„ quoque (ipsis redeuntibus) fide constricti, unanimes honorificemus
„ Deum, sitque Populo ad æternitatem vocato
„ una fides mentium, & pietas actionum. (*Plurimi inter Protestantes ab Augustana, aliisque suis Confessionibus recedunt*) Scilicet eo scripto, quod cum tuis litteris perferendum
„ ad me curasti, nunciabas, plurimos inter Protestantes,
„ ex his etiam, qui maxime apud ipsos doctrina,
„ muneribusque florent passim ab Augustana jam, aliisque
„ Confessionibus, librisque Symbolicis recedere, dogmata
„ oppugnare, quæ a suis majoribus retenta fuerant,
„ nec vereri palam declarare, quo jure, quave libertate Lutherus
„ olim, ejusque adstipulatores Ecclesiæ Catholicæ
„ restitere, eo se jure, ac libertate adversus primos illos
„ novarum Sectarum Auctores uti velle: Sic porro Socinianismum,
„ Deismum, aliasque hujus generis pestes, quas
„ inanis Philosophia, seu insana opinandi licentia peperit,
„ latius in dies sese quaquaversus effundere. (*Quare de principiorum suorum levitate admoniti cogitare cœperunt de reditu ad Catholicam Ecclesiam*) Hinc factum, ut Protestantes
„ haud pauci de principiorum suorum levitate admoniti cogitare
„ cœperint de reintegranda nobiscum unitate, &
„ concordia, eamque se vehementer expetere significaverint.
„ Quod hanc in rem memoras agitatum jam, pertractatumve
„ fuisse, supervacaneum est referre.

„ Ut ad rem potius, causamque veniam, patieris me
„ quod sentiam paucis aperire, non quod ea te docere, aut
„ monere velim, quæ tibi perspectissima esse non dubito,
„ sed ut quod Catholici officii maxime proprium est, no-

„ stram communem sentiendi rationem tecum ipse com-
„ municem. Imprimis ergo sic existimo, dum studemus
„ firmam, stabilemque inire concordiam, ab his tempera-
„ mentis cavendum, quæ ad optatæ concordiæ stabilitatem
„ convellendam plurimum deinceps commoditatis, & li-
„ centiæ afferrent. (*Fatentur Protestantes, Lutherum licentiam sibi sumpsisse cudendi novas doctrinas adversus Ecclesiam Catholicam*) Hac potissimum de causa, ut scribis, con-
„ cordiæ studiosi Protestantes principiorum, quibus hacte-
„ nus innixi sunt, levitatem, & inconstantiam animadverte-
„ re cœperunt, quod qui ex ipsis labuntur in Socinianis-
„ mum, Deismum, aliosve hujus generis, Religioni pe-
„ rinde, ac Reipublicæ infestos errores, palam profitean-
„ tur sibi concedi oportere, ut quam licentiam sumpsit si-
„ bi Lutherus adversus Ecclesiam, eamdem ipsi sumant
„ adversus Lutherum. Qua in re videmus in Luthero reno-
„ vari, quod pridem S. Augustinus notavit (De Agone
„ Christiano cap. XX.), in Donato comprobatum Evange-
„ licum dictum „: In qua mensura mensi fueritis, reme-
„ tietur vobis: „ Sicut enim, inquit, Christum ille divi-
„ dere conatus est, sic ipse a suis quotidiana concisione
„ dividitur, divinoque Judicio effectum, ut qui Ecclesiam
„ percussisset lingua litigiosa, eadem ipse conciderctur a
„ suis. (*Concordia cum Novatoribus revocanda est ad ea dogmata, quæ Ecclesia semper usque ab initio tenet, ac docet*)
„ Igitur tota ratio pertractandæ concordiæ, siquidem firmi-
„ tatem habitura est, dignam Christiano nomine, ad ea
„ principia revocanda est, quibus Ecclesia & ab initio est
„ a Christo instituta, & deinceps omni consequenti ætate
„ per Apostolos, eorumque Successores una, eademque in
„ universum Orbem propagata. Christus docendarum Gen-
„ tium Apostolis demandavit munus amplissimum, divini
„ Spiritus, a quo docendi erant omnem veritatem, afflatu,
„ ac ductu in ævum omne continuandum. (*Ecclesia jugiter docuit quid credendum, & agendum; qui autem ei se adjungere volunt ipsius doctrinam ut Verbum Dei suscipere debent*)
„ Hac auctoritate præditi Apostoli, & qui ab eis constitue-
„ bantur Ministri Verbi sic docebant, ut his, quos in Ec-
„ clesiam cooptabant quid credendum, quid agendum ex

„ imperio, & instituto Christi præscriberent . Ac vicissim „ qui se illis adjungere, Christoque nomen dare vellent, „ doctrinam ab illis traditam, non ut verbum hominum, „ sed sicut est vere, verbum Dei susciperent (1. ad Thes. „ sal. cap. 2. ver. 13.). (*Regula fidei una est*) Atque ut „ verbum Dei unum est, & immutabile, sic una erat, ea- „ demque immutabilis fidei regula, quam in omnibus Ec- „ clesiis tradere se Apostolus profitebatur, cujusque depo- „ situm sancte custodiendum Timotheo commendabat. (*Cui qui pertinaciter obsistant ad Ovile Christi non pertinent*) Qui „ vero, velut Hymenæus, & Philetus traditæ fidei regulæ „ pertinaciter obsisterent, novaque & sua invehere tenta- „ rent, ii Apostolica auctoritate ab universalis Ecclesiæ „ communione segregabantur, nec amplius censebantur ad „ ovile Christi pertinere, qui ab illis erudiri se, ac regi „ nollent, quos Christus ovibus suis pascendis, ac regen- „ dis præfecisset. (*Fidei, & communionis unitate sub uno Capite, maxime continetur universalis Ecclesia a Congregationibus hæreticorum distincta*) Hac fidei, & communionis uni- „ tate, qua universæ per Orbem Ecclesiæ sub uno Capite „ consociantur, continetur maxime, ac efflorescit univer- „ salis Ecclesia, ex omnium Gentium diversitate collecta, „ in ævum omne duratura; ipsa, inquam, Ecclesia, quæ „ in Symbolo, ut ait Augustinus (De Symb. ad Cathec. „ cap. VI.) post Trinitatis commendationem credenda pro- „ ponitur, *Ecclesia Sancta*, *Ecclesia una*, *Ecclesia vera*, „ *Ecclesia Catholica*, quam ille apprime distinguendam mo- „ net a Congregationibus hæreticorum, quas illi quoque „ vocant Ecclesias, nec tamen sunt Ecclesia (De ver. Re- „ lig. cap. VII.); Ecclesia nimirum illa, quæ vel a suis ini- „ micis Catholica nominatur, nec ad illam pertinent. (*A primis usque Ecclesiæ temporibus qui Sacramentum Baptismi accipiunt, ab Ecclesia instituuntur, nec proprio sensu sacras Scripturas interpretantur*) Hæc a suis primordiis inductam „ Christi instituto formam retinuit tradendæ fidei regulæ „ quibuscumque vocati essent, ac præordinati ad creden- „ dum (De Symb. de Cathec.), qui tun demum Christum „ Patrem habere inciperent, cum per Ecclesiam Matrem „ nati fuissent. Quicumque divina vocatione inducti ab

„ Ecclesiæ Præsulibus ab Ecclesiæ Præsulibus ingressum in
„ Ecclesiam peterent, primum inter Cathecumenos recense-
„ bantur, non ut de doctrina Ecclesiæcum Ecclesia contende-
„ rent, sed ut dociles audirent (De Fid. & oper.), quæ fides,
„ & qualis vita debeat esse Christiani; nec illis tantum
„ Symboli verba memoriæ mandanda, & reddenda trade-
„ bantur, sed cum familiare esset hæreticis sub Symboli
„ verbis venena sua occultare, singulis articulis pia, cau-
„ taque diligentia uberior explicatio adhibebatur, qua &
„ sententiam verbis subjectam planius intelligerent, &
„ contra grassantes hæreses Catholica auctoritate muniren-
„ tur. Moris hujus ab Apostolicis usque temporibus ab Ec-
„ clesia retenti, præter Augustini, aliorumque priscorum
„ Patrum testimonium fidem facit vetustissimus *Ordo*, quo
„ solemnis Baptismi Ritus continetur. Quisquis adultus,
„ ut nunc fit etiam, ad regenerationis Sacramentum, pro-
„ peraret, rogabatur primum quid ab Ecclesia Dei pete-
„ ret: petere se Fidem respondebat. Non ei tum sacri
„ Codices tradebantur in manus, ut ex eis propria inter-
„ pretatione credendi regulam erueret, suamque sibi fidem
„ fingeret, sed quam ab Ecclesia fidem petebat, eam Ec-
„ clesia pro suo jure amplectendam illi, ac fideliter servan-
„ dam proponebat. Siqui antequam cooptarentur hæsitan-
„ tem adhuc animum, ac difficultatibus implicitum osten-
„ derent, eas quidem opportunis argumentis eximere Do-
„ ctores Ecclesiæ non renuebant: Verum, quod probe no-
„ tandum, nulla umquam sic est instituta, aut suscepta
„ disceptatio, quasi Ecclesia, aut de suis dogmatibus ul-
„ lo pacto dubitaret, aut quo facilius exteros ad se allice-
„ ret, vel minimum quidquam de credito sibi deposito re-
„ mittendum censeret.

(*Hoc instituto Ecclesia primum ex Judæis, dein ac-
cessione Gentium aucta est*) „ Hac norma, hoc instituto
„ prima Principis Apostolorum prædicatione aucta est
„ Ecclesia insigni credentium multitudine inter Judæos:
„ Aucta deinceps accessione Gentium, quas Deus voluit
„ per os Petri (Act. XV. ver. 17.) audire verbum Evange-
„ lii, & credere. Ac primi quidem (Act. II.) illi creden-
„ tes, qui Petri sermone recepto baptizati sunt, perseve-
„ rantes fuisse memorantur in doctrina Apostolorum, &

„ communicatione fractionis Panis . Porro doctrina illa
„ haud sane censenda est tota comprehensa fuisse sermone
„ illo, qui scriptus refertur; quippe ibidem sanctum Apo-
„ stolum alia plurima verba uberioris testationis, exhor-
„ tationisve gratia subjecisse dicitur, quæ licet scripta non
„ fuerint, non ideo excidisse, aut ad sanciendam, expli-
„ candamque fidem, ac doctrinam minus valuisse putanda
„ sunt. Iam vero fideles, qui assidue communicabant in
„ fractione Panis, quis putet de tanto Mysterio suo quem-
„ que sensu statuisse, non proprium sensum ad commu-
„ nem Ecclesiæ fidem, & intelligentiam accomodavisse?
„ Quin etiam posteriori quoque ætate doctrina Ecclesiæ de
„ Mensa Domini non ante proselytis aperiebatur, quam
„ recepto Baptismate, ac præstita obedientia fidem suam
„ fidei Ecclesiæ obligavissent.

(*Ab his initiis nusquam Ecclesia deflexit; neque aberravit in suis institutis*). Hæc sunt initia, & primordia na-
„ scentis Ecclesiæ, a quibus illam aliquando deflexisse, aut
„ aberravisse nemo putaverit, nisi qui putet etiam, quam
„ Christus ad consummationem sæculi per petuitatem pollici-
„ tus est, eam præstare non potuisse: Sic Ecclesia de se
„ semper judicavit, ut certo crederet sibi Verbi divini per-
„ petuo custodiendum depositum a Christo commendatum
„ esse: Apostolis proinde, illorumque Successoribus sic
„ datum munus docendi, ut simul collata potestas fuerit,
„ quid Verbo divino consentaneum, quidve repugnans,
„ certo, tutoque definiendi, suaque Decreta irrefragabili
„ sanctione illa muniendi, quæ ad perpetuam memoriam
„ fuit olim ab Apostolis adhibita: *Visum est Spiritui Sancto,*
„ *& nobis*: Spiritui proinde Sancto resistere, qui Ecclesiæ
„ sententiæ & auctoritati parere detrectarent.

(*Ab hac forma longe absunt Congregationes hæreticorum; in quibus magna dissensio circa credenda*). „ Ab hac pri-
„ mitiva forma longe absunt Congregationes illæ, quas
„ hæretici, ut ait Augustinus Ecclesias vocant. Angustis
„ istæ locorum, temporumve spatiis concluduntur: Catholi-
„ ca implet, quod de se prænunciatum est, ut omni ætate
„ inter omnes Gentes longe, lateque diffusa cernatur. In
„ Catholica communione auctoritas, quam ab Apostolis pro-

„ ximi eorum Successores acceperunt, in alios deinceps
„ succedentes nusquam interrupta continuatione manavit:
„ qui ab hac discessere suam ipsi sibi auctoritatem creare
„ debuerunt, quam vetat interrupta successio, ne amplius
„ ad Apostolos, nec adeo ad Christum referri queat. Ita-
„ que isti suis in condendis fidei formulis privatas interpre-
„ tationes sequuntur, in quibus cum alii ab aliis dissi-
„ deant, ad pacta, & transactiones, quasi de forensi lite,
„ non de Verbi divini integritate ageretur, venire cogun-
„ tur, quibus aliquid tandem emergat, quod omnibus
„ ex æquo placere videatur. Sed quo tandem hæc spectant?
„ Sane quod uni Collegio, uni, quam vocant, Ecclesiæ pla-
„ cuit, id sequendum erit iis, qui volent ejus Collegii,
„ Ecclesiæve participes esse: Ceterum sentiunt, fatentur-
„ que clari apud eos Doctores pari jure, pari auctoritate alia
„ Collegia pollere, ut statuant quid a suis viciss'm teneri
„ oporteat; nulli proinde Collegio jus esse aliis Collegiis,
„ quid sequendum sit, inconcussa auctoritate præscribere. „
(*Quare ipsæ non possunt uti formula*: „ *Visum est Spiritui Sancto, & Nobis* „. Fatendum igitur nulli Collegio jus
„ inesse formulæ usurpandæ, quam Apostoli adhibuerunt:
„ *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, qua profecto si quod-
„ vis istorum uti valeret, utique aliis concedere non pos-
„ set, ut aliter docerent, ac tenerent. Nulla ergo ipsis
„ nota relinquitur, qua Verbum divinum a Verbo homi-
„ num tuto, certoque discerni valeat. (*Numquam dubitatum est quin ad regulam fidei pertineat quicquid ab Ecclesia Catholica definitur*) At Ecclesia Pontificum, Synodorum aucto-
„ ritate nullo umquam tempore desiit contra nascentes hæ-
„ reses, quas futuris temporibus identidem exorituras Apo-
„ stoli prænunciaverant, Verbi divini integritatem Supre-
„ ma illa Spiritus Sancti, quam superius diximus, sanctio-
„ ne asserere, nec tot sæculis umquam dubitatum est,
„ quin ad regulam fidei pertineret quidquid fuisset hoc pa-
„ cto adversus cujusvis temporis Hæreticos, velut Arianos,
„ Macedonianos, Pelagianos definitum. (*Quod insigne hæreticorum sectæ sibi tribuere nequeunt*) Quis vero nunc, vel
„ inter ipsos Protestantes tantum tribuere audeat sive Au-
„ gustanæ, sive aliis ejusdem notæ Confessionibus, ut cer-

„ to, tutoque pronunciet velut hæreticum, ac Verbi divi-
„ ni proditorem habendum quemcumque contigerit ab il-
„ lis vel uno apice dissentire? „ (*Sola Catholica Ecclesia est columna, & firmamentum veritatis*). Sic illud quod Eccle-
„ siæ proprium est, ac perpetuum insigne, ut sit colum-
„ na, & firmamentum veritatis, nullo loco in tanta dissi-
„ dentium inter se opinionem varietate reperiri potest; nul-
„ la est ex illis peculiaribus societatibus, quæ adeo blan-
„ diri sibi valeat, ut in se uua spretis aliis columnam ve-
„ ritatis constituat. Si uni Ecclesiæ id convenire oportet
„ (sicut teste Apostolo prorsus oportet) non alia reperietur
„ quam Catholica, quæ quod semel ex Christi instituto in
„ Ecclesia fuit, amittere numquam potuit. Qui ergo ab ea
„ Columna divelli se patiuntur, minime mirum est id ex-
„ periri, quod omni retro ætate contigit, ut omni vento
„ doctrinæ circumferantur, atque in illo æstu contentio-
„ num, quo jactantur, nil stabile reperiant, in quo fir-
„ mi, tutique consistant. Uno verbo, cum nulla ex istis
„ sectis hujusmodi auctoritatem arrogare sibi valeat, qua
„ de quæstione quavis ad Christianam doctrinam pertinen-
„ te, quid regulæ fidei consentaneum sit, quidve repu-
„ gnans, certo, immutabilique judicio definiat, suæque
„ amplectendæ sententiæ necessitatem fidelibus indiscri-
„ minatim omnibus imponat: nulla est, quæ non apertis-
„ sime careat ea nota, quæ maxime propria est Ecclesiæ,
„ quæ perpetuo in Ecclesia viguit, nec in ea utpote ad cu-
„ stoniam depositi pertinens, desinere umquam potuit.
„ Quo uno, ut alia prætercam, societates illæ convincun-
„ tur non Ecclesiam constituere, sed penitus ab Ecclesia
„ descivisse, qualis & ab initio constituta, & omni dein-
„ ceps consequenti ætate progressa est, ac propagata.

(*Non potest Ecclesia quoad credenda aliquid remittere*).

„ Atque hæc quidem, quæ mihi scribenti exciderunt plu-
„ ribus verbis, quam Epistolæ ratio, paucioribus, quam
„ causæ dignitas postulat, eo animo, consilioque conferre
„ tecum volui, quo plus enitendum est, ut ab Ecclesia de-
„ pellatur invidia illa, qua laborare solet apud Protestantes,
„ quod nec pacis conciliandæ causa quidquam velit de dog-
„ matum suorum constantia remittere, nec patiatur, quæ

„ semel definita fuerint, sic retractari, quasi minima ex „ parte revocari possent. Non id vitio Ecclesiæ verti debet, „ quod ex intima ejus constitutione manat, qualem eam „ Christus esse voluit, qualem se omni ætate præstitit. „ Scit illa, creditam sibi a Christo fuisse doctrinæ suæ cu„ stodiam, nec licere, aut omnino fas esse de hac doctri„ na, quæ semper, & ubique una eademque vigere debet, „ vel minimam partem deserere: Scit, hac de causa tradi„ tam sibi potestatem de quæstionibus quandocumque ex„ citandis irrevocabili judicio definiendi. Non posset illa „ de suis Decretis dubitare, quin simul, quod impium fo„ ret suspicari, dubitaret sibi aliquando spiritum veritatis „ defuisse, quem sibi semper affuturum Christus promi„ sit. Quibus efficitur, estque plane consequens non aliam „ revertentibus pleniorem viam parari posse, quam quæ „ primum ingredientibus olim patuit, ut fidem Ecclesiæ ab „ Ecclesia petant, accipiantque, & ut jam veteri Testa„ mento adumbratum erat, ascendant in locum, quem „ Dominus elegit, ut ex ore Sacerdotis legem ejus requi„ rant. (*Verum omni poscenti rationem reddit, & ad se revertentes ut Mater complectitur*) Nec tamen Ecclesia Do„ ctorum suorum ministerio prætermittit omni poscenti ra„ tionem reddere, omnique studio illorum offensionibus oc„ currere, qui ab ea desciverunt, eosdemque omni chari„ tatis officio ad se revocare „. *Nusquam enim*, Auctore „ Augustino (De Agon. Christ. cap.XXX.) *tam vigere debent* „ *viscera misericordiæ, quam in Catholica Ecclesia, ut tamquam* „ *vera Mater nec peccantibus filiis superbe insultet, nec correctis* „ *difficile ignoscat*.

(*Nequit dissimulari suprema Romani Pontificis auctoritas*). Quod adjicis demum de dissimulanda paulisper, sal„ tem initio, Summi Pontificis auctoritate, profecto intel„ ligis, redire ad unitatem volentibus prorsus non posse „ Caput illud dissimulari, in quo inest unitatis, seu Ca„ tholicæ communionis Centrum, & vinculum. (*Quam non terrifico dominatu, sed ut Pater exercet*). „ Equidem „ in id incumbendum, ut ex istorum animis evellatur falsa „ perinde, atque infesta opinio, quam ab incunabulis ple„ rique hauserunt, de superbo, ac terrifico dominatu Pon-

„ tificis. Magna sane Primatus auctoritas in Ecclesia, in-
„ numeris testata Sanctorum Patrum, Conciliorumque Ge-
„ neralium sententiis, & Decretis, sed quæ tota demum
„ refertur ad salutem gregis, quamq. sic exercent, qui ea
„ potiuntur, ut monente Gregorio (Regist.lib.II. Ep. 49.),
„ sicut Patres (Regul. Pastor. Par. II. cap. 6.) in nomine,
„ ita affectu probentur in opere, nec præesse gaudeant, sed
„ prodesse. Nihil est in tam moderato usu potestatis, quod
„ moderatos Protestantes offendere, ac deterrere valeat,
„ aut debeat. Non eos latet in Cornelio Centurione pri-
„ mum in Ecclesiam aditum Gentibus patefactum esse;
„ Cornelium porro divino jussu, ac monitu missum ad Pe-
„ trum, ut audiret ab eo, quæ ipsum facere oporteret. Cur
„ eos pigeat tam claris vestigiis insistere, ac eisdem gres-
„ sibus, & auspiciis in Catholicam redire? Cur non ament
„ ab eo pasci, cui suas oves indiscriminatim omnes pas-
„ cendas Christus commisit, quem tam longa sæculorum
„ serie Pastorem sequi amarunt quotquot sanctitate, & do-
„ ctrina, virtutibus, & operibus Ecclesiam illustrarunt?

(*Magnum Dei donum vocatio ad fidem, & enixis ab eo pre-
cibus implorandum*). Sed & istud, quod caput est, alte
„ retinendum, magnum Dei donum esse vocationem ad
„ fidem, enixisque proinde precibus a Deo implorandum.
„ Agitur de fide, per quam accessum habemus ad gratiam
„ istam, qua una salvi esse possumus, sine qua nec certa-
„ re, ut oportet, nec repositam bene certantibus coronam
„ justitiæ consequi possumus. (*Cohortatio*). Hanc sincero
„ animo, hanc humili corde, hanc perseverantibus lacry-
„ mis postulare oportet a Patre luminum, qui dat omnibus
„ affluenter, nec improperat. Quibus jam ejus inquirendæ
„ pium studium, & affectum indidit, ii Deum orare non
„ desinant, ut quod in eis cœpit, compleat, ac perficiat.
„ Festinent credere in lucem, dum lucem habent, ne pœ-
„ nales illos tenebræ comprehendant, ac retineant. Ve-
„ reantur omnino ne Spiritui Sancto moventi resistant,
„ oblatumque fidei donum mundano affectu respuant, ac
„ aspernentur. Utinam ergo magnum istud Dei donum gu-
„ stare nobiscum aliquando valeant: Utinam possimus eos
„ verbis illis alloqui, quibus Ecclesia Pastorum voce rece-

„ ptos in gremium Filios alloquitur „ : *In nomine Christi* „ *Plebs Dei estis, Plebs Catholica estis, membra Christi estis* „ (*August. Serm.* 37.) : *Non estis divisi ab unitate, communicatis membris Apostolorum, communicatis memoriis Sanctorum* „ *Martyrum diffusorum per Orbem terrarum* „ (*De Verb. Div.* „ *Ev. Jo. c. XII.* 12. 13.) „ Interea, Vir clarissime, sic me „ tuis litteris affectum existimes velim, ut de præsenti tuo „ in Catholicam Religionem studio vehementer tibi gratu- „ ler, & gaudeam, de tua eximia in me voluntate maxi- „ mas, quam possum, gratias habeam. Teque summo- „ pere rogo, ut me tuis apud Deum precibus juvare velis, „ memor Apostolici moniti (Jacob. 5.) : *Orate pro invicem,* „ *ut salvemini*; quod porro unum est necessarium. Vale „ Huc usque Epistola. Tali, ac tanta doctrina, multisque virtutibus ornati Viri Operi luculentissimo, firmis adeo fundamentis superextructo liceat & mihi minimo, quamvis rudi calamo, & stylo incompto, vel breviter addere ad rem Capitula quædam non nova, sed nove allata, Ecclesiæ Catholicæ veritatem, indeficientiam, infallabilitatem uberius probantia. Hæc largiente Domino subjiciam. Non perpendatis, quæso, mei sermonis rusticitatem, sed eam animo revolvite veritatis lucem, quam splendor fidei in mentis oculos Deum haud ficte quærentium immittit. Quum enim plures e Doctoribus Catholicis arma victricia exeruerint ad adstruenda ea fidei dogmata, quæ Novatores errando negant, aut parvipendunt, & omni armatura fortium pro turri Davidica strenue pugnarint, nolumus has controversias, seu verius prophanas novitates, quas Sectarii invenerunt, variis, & plurimis sectionibus attingere; sed tantum de paucis agimus, quæ veluti capitalia sunt, et loco fundamenti lapidum, super quas ruens, tenebrosumque construxerunt Sectarii ædificium adversus Domum Dei, ut hanc si fieri posset, concuterent, diruerentque. Ita fiet, ut ultimæ ætatis Dissidentes isti, cognitis absurditate, fallacia, falsitateque disceptationum suarum, tandem aliquando, Dei gratia eos illuminante, ac salvante ad Catholicam, ut in ipso Deo confidimus, revertantur Ecclesiam.

CAPITULUM I.

(Ecclesia Catholica , quæ est sub Romano Pontifice, Christi vera Ecclesia est ; reliquæ adulteræ) . Ecclesia Catholica *una est* , *nec nisi una esse potest* . Christus enim Ecclesiæ institutor Divinus unam eam esse voluit „ *Dic Ecclesiæ* . (non Ecclesiis), *si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus* , *& publicanus* „ dixit Iesus Discipulis suis (*Matt*. 18. 17.) . Ecclesiæ Catholicæ etiam Paulus Apostolus pluries meminit „ *Viri diligite Uxores vestras* , *sicut & Christus dilexit Ecclesiam* , *& semetipsum tradidit pro ea* „ (*Ephes*. 5. 25.) „ *Adimpleo ea* , *quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore ejus* , *quod est Ecclesia* , *cujus factus sum ego minister* „ (*Coloss*. 1. 24. 25.), & alibi . Ac sane quemadmodum „ *Unus Dominus* , *una fides* , *unum Baptisma* „ (*Ephes*. 4. 5.), ita una Ecclesia , quam proinde unam esse in Symbolo Apostolico profitemur . Hæc una Ecclesia , quoniam Corpus Christi est, sine Capite esse non potest nedum invisibili , quod est Ipse Christus Dominus , sed etiam visibili (nam visibilis Ecclesia est , ut paulo infra), quod est Romanus Pontifex, sicuti prolixiori oratione statuimus *in toto hoc de Primatu Romani Pontificis Opusculo* ; atque etiam tetigimus invicte sup. in Op. (Num. IX. , & Num. XLII. num.45. in S. Thoma), & in *superiori Appendice* „ *ad Ruthenos* „ (Num. XXII. XXIII.) Illa igitur Ecclesia vera est , quæ Christum Dominum Auctorem , consummatoremque se habere gloriari potest , & Romano Pontifici subest ; adultera autem alia quæcumque societas , quæ Ecclesiæ sibi velit nomen usurpare ; ex quo sequitur , Ecclesiam veram esse unam eam , quæ ab Apostolis descendit , quemadmodum Apostoli a Christo , ac Petrum prius , dein istius Successores in Romana Sede , ut Caput visibile habet, tenetque . Siquis ergo aliam Ecclesiam subintroducit , quæ ab homine , non a Christo originem habuerit , & a visibilis illius Capitis fide , communione , obedientia sese subtraxerit , hic Christi adversarius est , & Pseudo-Christus . Atqui Catholica Latina Ecclesia , quæ supremum Pastorem agnoscit suum Romanum Pontificem illa Ecclesia est , quam a Christo accepisse constat institutionem , propositum , fidem , quod

pluribus probavimus in *Procemio Opusculi hujus*; ergo quæcumque alia in Mundum immissa hucusque fuit, vel in posterum immitti contingat, ab homine est, non a Christo, decepitrix est, & erroris, non veritatis Magistra. Scripsit Lutherus, quamvis Catholicæ Rom. Eccl. hostis infensissimus in Lib. con. Anabaptistas: „ Nos fatemur, sub Papatu,, (h.e. in Ecclesia Catholica Romana, quæ una illa est, quam ædificavit Christus super Petrum, & in B. Petso super ejus Successores Romanos Antistites) „ plurimum esse boni Christia-
„ ni, imo omne bonum Christianum, atque etiam illinc
„ ad nos devenisse. Quippe fatemur, in Papatu veram es-
„ se Scripturam Sacram, verum Baptisma, verum Sacra-
„ mentum Altaris, veras claves ad remissionem peccato-
„ rum, verum prædicandi officium, verum Cathechismum,
„ ut sunt oratio Dominica, decem præcepta, articuli
„ fidei. Dico insuper, sub Papatu veram christianitatem,
„ imo verum naucleum Christianitatis esse:„ Et in Tract. de Miss. privat. edit. circa ann. 1534. To. 7. pag. 236. seq. ipse Lutherus ait, quod Ecclesia Catholica est vera Ecclesia, fundamentum, & columna veritatis, & locus sanctissimus: Quod in hac eadem Ecclesia Deus miraculose conservat Baptismum; textum Evangelii in quocumque idiomate; remissionem peccatorum; & absolutionem tum in Confessione, tum publice; Sacramentum Altaris prope Pascha, & ter, aut quater in anno (quare non etiam jugiter?); vocationem, & ordinationem Pastorum; consolationem in agonia; Imaginem Crucifixi; & eodem tempore memoriam Mortis, & Passionis J.C.; Psalterium; orationem Dominicam; Symbolum; Decalogum; pia Cantica plura latine, ac theutonice: Ac post pauca prosequitur, quod ubi inveniuntur veræ Sanctorum reliquiæ (quas in Catholica Romana Ecclesia reperiri tam certum est, & antiquissimis, & indubitatæ fidei monumentis, & argumentis probatur, ut desipiat oportet quisquis adeo liquido exploratam rem litigiosus negaverit), ibi absque dubio fuit, & adhuc est S. Ecclesia J. C., ibi Sancti moram traxerunt, eo quod ibi sunt Instituta, & Sacramenta J. C:; unde certum est, quod J. C. præsens ibi adfuerit, quodque Spiritus Sanctus servat veram sui cognitionem, veramque fidem. Lutherus igitur

fassus est, Ecclesiam Catholicam Romanam esse veram, J. C. Ecclesiam, extra quam non datur salus; & tantum abfuit, quod putaret ipse, idololatriæ objectum esse Crucem, quæ in manus morientium ponitur (idemque de aliis sacris Imaginibus dicas), quin potius eam respexit qua religionis, pietatisque monumentum, & salutare monitum in mentem revocans Passionem, & Mortem D. N. J. C., qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit. Ad hæc; expressis verbis de Catholica Romana Ecclesia in Resp. ad Prierat. ad 14., & 15. Conclus. (To. I. Opp. Luth. fol. 51. Edit. Jenæ): „ Gratias ago (ait) Christo, „ quod hanc unam Romanam Ecclesiam in terris ita servat, „ ingenti, & quod solum possit probare fidem nostram es- „ se veram, miraculo, ut numquam a vera fide ullo suo „ Decreto recesserit; nec tot barathris pessimorum morum „ diabolus tantum efficere potuit, ut penes hanc non mane- „ ret ab origine sua Canonicorum Bibbiæ-Librorum, & „ Ecclesiasticorum Patrum, & Interpretum auctoritas, & „ auctoritatis sincera professio „. Viden; quomodo Ecclesia Catholica ab Adversariis accipiat testimonium?

CAPITULUM II.

(*Christi Ecclesia visibilis est*). Ex Christi D. N. instituto quemadmodum vera Ecclesia una est, Catholica, & Apostolica, quod pariter in Symbolo continetur, ita etiam *visibilis est*. Postquam Dominus Jesus pernoctavit in oratione Dei, ut narrat *S. Lucas* (*6. 12. seqq.*) „ cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, & elegit duodecim „ ex ipsis (quos & Apostolos nominavit) „ His potestatem concessit: Quoad verbi Dei prædicationem, ac Sacramentum Baptismi. „ euntes . . . . docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, „ docentes eos &c. „ Et quoad Pœnitentiam „ Accipite „ Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remit- „ tuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt „ (*Joann. 20. 22. 23.*); Quoad Eucharistiam, & incruentum Sacrificium: „ Et accepto Calice gratias egit &c.: & accepto Pa- „ ne gratias egit &c.: hoc facite in meam commemoratio-

„ nem „ (Luc. 22. 17. &c.) Iterum , atque iterum quoad doctrinam „ Vos estis sal terræ „ (*Matt.* 5. 13.) ; Vos „ estis lux Mundi „ (*Ibidem* 14.) : Quoad Claves vero , Petro dixit Jesus „ Tibi dabo Claves Regni Cælorum : Et „ quodcumque ligaveris super terram , erit ligatum & in „ Cælis ; & quodcumque solveris super terram erit solutum „ & in Cælis „ (*Matt.* 16. 19.) „ Pasce Agnos meos . . . „ pasce Oves meas „ (*Joann.* 21. 15. *& seqq.*) ; & Apostolis omnibus „ Amen dico vobis , quæcumque alligaveritis su„ per terram , erunt ligata & in Cœlo : & quæcumque sol„ veritis super terram , erunt soluta & in Cœlo „ (*Matt.* 18. 18.) . Potestatis autem hujus spiritualis quotquot sunt munia a Divino Ecclesiæ Fundatore tradita Petro , ceterisque Apostolis , ea exteriora , & visibilia esse , ac visibiliter adimplenda , & ministranda adeo est manifestum , ut probatione non indigeat , & legentibus pateat ; quoniam visibilem oportet esse lucem mundi ; sensibilem terræ salem ; sensibilia Sacramenta , quæ (ut docuit S. Augustinus de Catechizan. rudib. cap. 26.) , signacula sunt rerum divinarum visibilia ; sensibilis Divini Verbi prædicatio , quæ auribus auditur , alias „ quomodo audient ? „ & „ num„ quid non audierunt ? Et quidem in omnem terram exivit „ sonus eorum , & in fines orbis terræ verba eorum „ (Rom. 10. 14. 18.) . Ast , quoniam potestas omnis a Jesu Christo instituente Ecclesiam suam , Apostolis , eorumque Successoribus data essentialis Ecclesiæ ipsi est , utpote quæ in ea instituenda , & ad ejus regimen , & statum a Jesu Christo tradita , atque præscripta , hinc Ecclesia ipsa Divino instituto visibilis est , nec visibilitatem ad finem usque sæculorum perdere quandoque poterit , quoniam evadens invisibilis una amitteret veræ Jesu Christi Ecclesiæ Notas , ac dignitatem ; hoc est Ecclesia Christi esse desineret . Hoc certe impossibile ; nam Dei verbo constituta , ac firmata Ecclesia ejus , ad mundi usque finem immota persistet dicente ipso Domino „ Ecce ego vobiscum sum omnibus die„ bus usque ad consummationem sæculi „ (*Matt.* 28. 20.)

Ex hucusque dictis sequitur , visibilitatem esse oportere in Verbi Dei ministerio , in Sacramentorum administratione , in oblatione sacrosancti incruenti Sacrificii , in regi-

mine fidelium, inque ceteris sacris muniis exercendis, & explicandis a Romanis Pontificibus B. Petri Successoribus; nec non ab Episcopis, qui in locum aliorum Apostolorum quoad Episcopalem characterem, & potestatem suffecti sunt; & a reliquis Sacrorum Ministris legitima missione suffultis. Fuse jam a nobis in hoc opere demonstratum est, Petrum Apostolum, ipsiusque Successores a Christo Domino accepisse Primatum in universum Orbem, ut Christifideles regerent, pascerent, gubernarent, quæ omnia visibilia sunt officia, quum nec Pastor Oves, & Agnos invisibiliter ad pascua ducere, aut per semitas salutares minare; nec Rector invisibiliter gubernare valet sibi subditos; & hanc supremam Dignitatem non esse umquam interituram, pariter a nobis statutum est: Idem dicas de Episcopis quantum ad illa, quæ ipsis conveniunt, ac sunt in eorum potestate, nam Summo Romano Pontifici sunt inferiores, atque ipsi subesse debent: Ergo ex Jesu Christi instituto, ac proinde ex sui ipsius essentia visibilis Ecclesia est, & visibilis in ævum omne permansura.

Ad hanc Catholicam doctrinam apprime refertur Symbolum Constantinopolitanum, quod nil aliud, quam Apostolici Symboli uberior explicatio est, & Catholica Ecclesia immaculatum custodit, & servat. In eo namque profitemur „ Credo . . . Unam, Sanctam, Catholicam, & Apo„ stolicam Ecclesiam „, quæ in Apostolico Symbolo abbreviata proferuntur „ Credo . . . . Sanctam Ecclesiam Catholicam „. Certe iis, quæ tradit Symbolum, credere, *eaque confiteri* necessarium est ad salutem; verum *confessionem fidei* sensibilem, audituque perceptibilem esse quis neget? Aliunde vero in professione fidei istius, quemadmodum & in participatione Divinorum Sacramentorum, atque in subjectione legitimis Pastoribus, ac præcipue Pontifici Romano Catholicæ Ecclesiæ Vertici, uniuntur fideles; imo Symbolum ipsum Catholicitatis est tessera. Igitur visibilem Ecclesiam fateri debemus, quæ Symbolum habet omnibus commune, & ab omnibus fideliter retinendum, ac quoties oporteat ore proferendum. Ad hæc; quum *una, & Catholica* Ecclesia sit, ex hoc etiam visibilitatem ad ejus essentiam spectare concedendum est. Enim vero, si invisibilis ea sit

nemini constabit quænam sit, & ubi ea una Ecclesia, quæ Universalis, & Catholica, reperiatur; ac proinde nemini daretur præcepto Dominico parere, quod (*Matt.* 18.15. *seq.*) legitur „ Si . . . . peccaverit in te frater tuus . . . si non „ audierit eos,dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit „ sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus „; nemo itidem certitudinem habere poterit, aut vero ostendere, se ad Ecclesiam Catholicam pertinere, nam latet omnibus id, quod est invisibile. Portentum hoc, institutioni Ecclesiæ ipsius, & Verbo Dei contrarium, prædicare, & insinuare fidelibus nituntur Dissidentes moderni, dum invisibilem esse Ecclesiam effutiunt, seu, quod idem est, tantummodo eam esse Prædestinatorum, quamvis Deus solus noscat qui permaneant ad coronam, & qui sunt ejus, nec ullus nisi Deus sciat quos elegerit, quos præsciverit, & prædestinaverit conformes fieri imaginis Filii sui: Itemque dum dicunt, non esse in Ecclesia Caput, nisi invisibile, hoc est Jesum Christum, nam sine visibile Capite aut non esset, aut vero monstrum esset Ecclesia visibilis; Et insuper male providisset æternæ hominum saluti Redemptor Mundi, si absque visibili Capite visibilem Ecclesiam constituisset. De hoc argumento egimus in hoc Opere, in quo probavimus, præsertim Num. IX., & XLII. num.45. in S. Thoma, Caput Ecclesiae visibile Romanum esse Pontificem. Videatur etiam præcedens Appendix, quæ est ad Ruthenos (Num. XXII. XXIII.) Quod si ita esset, quemadmodum Sectarii obmurmurant, de Ecclesia actum esset, eaque in nihilum impie, ac hæretico ausu redigeretur. Sane „ in nullum nomen religionis seu verum, seu falsum coagulari homines possunt, „ nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium „ consortio „ ut doctissime observat S. Augustinus (lib.19. cont. Faustum cap. XI.). Unde quisquis invisibilem Ecclesiam dicit, illam confingit, quæ ab homine inventa, non a Jesu Christo est instituta, Ecclesiamque prophanam contra sacratissimam Servatoris Nostri Ecclesiam statuit. Nonne haeresis haec est, haereticarumque fabularum origo, ac parens foecundissima?

CAPITULUM III.

(*Commentum hæreticum est , regulam credendi fide Divinæ constituere in spiritu privato a Novatoribus confictio*) . Commentum hæreticum est (quod consequitur etiam ex hucusque præfatis), *Regulam credendi fide Divina constituere in interna illuminatione , & inspiratione Spiritus Sancti ab unoquoque accipiendis* , h. e. *in spiritu privato* a Novatoribus recentissime in suos invecto . Enim vero moderni isti , *qui recesserunt ab Ecclesia Catholica solas Scripturas Sacras* , rejectis Divinis Traditionibus , recipiunt ; ex sacris autem ipsis Libris eos unice , easque horum partes admittunt illi , quos sibi ipsis favere putant , cæteris proprio arbitratu ad apochryphos amandatis : Sensum autem , & interpretationem Divinarum Scripturarum unicuique fidelium , omnibusque privatis committunt , dicentes , Spiritum Sanctum interius inspirare , & illuminare vero , infallibilique modo , & dono sine pœnitentia Christianos singulos , sive Vir , sive mulier illa sit , sive bonus , sive malus , sive fur , ac latro, sive injustus , ac rapax , sive homicida , sive adulter ; uno verbo cujuscumque furfuris hominem , pessimum quamvis, ac perditissimum ; immemores (hoc volentes dum talia effutiunt) sententiæ Divini Spiritus : „ quoniam in malevo-
„ lam animam non introibit sapientia , nec habitabit in cor-
„ pore subdito peccatis „ (*Sapiens.* 1. 4.)

Vidit in spiritu , prædixitque Apostolorum Princeps perniciosissimum errorem hunc , qui postremis temporibus serpendo ut cancer , multorum animas mortifero veneno occideret , ac sapientissime antidotum præbuit *Epist. II.* 1.20. 21. „ Ait enim : „ Hoc primum intelligentes , quod omnis
„ prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit ; Non
„ enim voluntate humana allata est aliquando prophetia ,
„ sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homi-
„ nes „ , scilicet Prophetæ Domini , aliique agiographi Scriptores a Deo electi ad magnum hoc opus , non autem omnes quoquot fuere , aut sunt privati . Sed & inutiles , aut superfluæ essent ipsæ Sacræ Scripturæ , si omnes verbum Dei immediate a Spiritu Sancto acciperent infallibiliter ; & ita unusquisque gloriari posset , se esse divinitus

inspiratum, Spiritus Sancti plumam esse in scribendo, scriptoremque agiographum. Revera, quoniam sacræ paginæ nil aliud sunt, quam Verbum Dei scriptum, nonnisi ab eo interpretari possunt, cui Deus ipse auctoritatem, & inerrantiæ promissa concessit, legitime, & cum potestate fideles obligandi ad credendum, potestate, inquam, a Jesu Christo accepta, itaut errandi absit periculum, ac proinde quisquis alter fuerit, qui privato spiritu, & propria auctoritate illas edisserere audeat aut sibi, aut fidelibus, explicationemque suam, qua fidei Divinæ regulam habeat, aut venditet, is sibi ipsi, aliisque illudet, & intolerandæ incurret notam temeritatis. Norunt omnes, legibusque Principum cautum est prudentissime, non posse quemquam, nisi Principem ipsum, vel illum, quem Princeps ad hoc opus elegerit, leges, quas ille tulerit, cum auctoritate declarare. Si hoc, quoad Verba hominum axioma servamus, qua fronte nolumus accipere quoad Verba Divina? Neque dixerit nescio quis Novator, Divinam potestatem quoad sensum sacrorum Librorum accepisse unumquemque a Christo Domino tunc, cum Spiritum Sanctum se missurum promisit, qui fideles omnia esset docturus; nam de Apostolis loquutus est Dominus, & in Apostolis de Ecclesia Catholica. Et certe, quemadmodum sub lege Moysis penes Synagogam erat interpretatio Scripturarum, unde Hæbreos ad eam misit Divinus Magister inquiens „ super Cathedram „ Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi: Omnia ergo quæ„ cumque dixerint vobis servate, & facite (*Matt.* 23. 2.), *super Cathedram*, hoc est, cum doctrinam legis cum auctoritate explicarent, qua auctoritate nonnisi in Synagoga utebantur; Potiore igitur ratione Evangelii tempore sola Ecclesia Catholica vere, ac firmiter asserere potest „ Visum est Spiritui Sancto, & Nobis „ quod nemo alter nisi superbe, ac temere affirmaret, prout in Epist. Cl. Card. Gerdilii hic supra declaratur. Profunde, ac solidissime Tertullianus, qui floruit æræ christianæ sæculo II. De Præscription: advers. hæret. cap. 37. (relat. sup. ad rem nostram in Opere) „ Si hæc ita se habent, ut veritas nobis adjudi„ cetur, quicumque in ea Regula incedimus, quam Eccle„ sia ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo ac-

„ cepit, constat ratio propositi nostri definientis, non esse admittendos hæreticos ad ineundam de Scripturis provocationem, quos sine Scripturis probamus ad Scripturas non pertinere. Si enim hæretici sunt, christiani esse non possunt, non a Christo habendo, quod de sua electione sectati hæreticorum nomine admittunt. Ita non Christiani nullum jus capiunt christianarum litterarum. Ad quos merito dicendum est: Qui estis? Quando, & unde venistis? Quid in meo agitis non mei? Quo denique Marcion jure Sylvam cædis? Qua licentia Valentine fontes meos transvertis? Qua potestate Apelles limites meos commoves„? (eadem dicas de Wicleff, Hus, Luthero, Calvino, Zuinglio, Socinis, cæterisque novorum errorum auctoribus, aut sectatoribus) „ Mea est possessio. Quid hic ceteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est possessio; olim possideo; prior possideo: habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum. Sicut caverunt testamento suo; sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo, vos certe exhæredaverunt semper, & abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos. Unde autem extranei, & inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbitrio, adversus Apostolos aut protulit, aut recepit? „ Rectissime hæc a Tertulliano disputata sunt; hæretici enim, qui de suo arbitrio Scripturas interpretari ausi sunt, eas turpiter depravarunt, quod *B. Petrus Apostolus II. Epist. 3. v. 15. seqq.* tradit illis verbis „ Propter quæ . . . . Domini Nostri longanimitatem salutem arbitremini: Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut in omnibus Epistolis loquens in eis de his: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem „.

Verum attendant adhuc Novatores, & videant (quæ videre hucusque aut noluere, aut nequiverunt), quæ, & quanta absurdissima, & impia ex spiritus sui adinventione profluerent in Ecclesiam, & fideles ad ipsorum æternam perniciem. Enimvero, si unusquisque fidelium a Spiritu

Sancto instrueretur infallibiliter, non esset alter, qui eum docere posset, aut exhortari, aut arguere, ac nemo nisi temere alium instruere satagaret. Quem namque Dei Spiritus infallibiliter docet aut ineptum est, aut vero illicitum velle docere sive doctor Episcopus fuerit, sive major, sive sapientior; quoniam aut id, quod illi ad doctrinam proponitur privato spiritui audientis conforme est, & tunc inutilis instructio, seu exhortatio invenitur, aut e contra est dissonum, & nefas est velle eum dehortari a doctrina, quam immediate accepit a Spiritu Sancto. Deficeret proinde in Ecclesia tibia, & cythara, h. e. lætissimus sonus Prædicationis Verbi Divini; ac sibi ipsi contradixisse Christum, aut inepte fuisse loquutum concedere (quod horrendum nimis) oporteret, quum post resurrectionem suam Apostolis dixit „ Euntes in mundum universum prædicate „ Evangelium omni Creaturæ „ (*Marc. ult.* 14.), & etiam *Euntes . . . . docete omnes gentes, baptizantes . . . . docentes* (post Baptisma collatum) *eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* „ (*Matt. ult.* 19. 20.). Certissime Christus nusquam sibi contrarius fuit; benevero sibi ipsis contradicunt Novatores, qui dum Spiritus privati pessimum dogma incautis insinuant, Ministros, ac Prædicantes constituunt, suasque Synodos habent, ut veræ Ecclesiæ confingant similitudinem.

Sed & in anarchiæ turbulentissimo, confusoque Oceano spiritu suo privato Novatores ipsi naufragio perierunt, Ecclesiamque demergere nituntur. Patet hoc consideranti, quod cum Ecclesiæ docentis rejiciant auctoritatem, scita, & definita; neque Supremum ejus, & ob Christi indeficientem præsentiam, & illuminationem Sancti Spiritus, infallibile magisterium recipiant, constituendo in solo uniuscujusque privato spiritu regulam fide Divina credendi, ac sacratissimas Scripturas infallibili decreto interpretandi, necesse omnino est, quod unusquisque penes eos, seipsum constituat Supremum in rebus fidei, & morum Judicem infallibilem: Hinc tot ejusmodi Judices erunt, quot sunt fideles; omnis homo aut Vir, aut mulier proprio judicio, seu potius arbitrio credere, agere velle contendet, sine lege, ac sine regula fidei, ac morum, quemcumque

respuendo sacrum ductorem , Judicem, Legislatorem, in spiritualibus Principem ; unusquisque itidem adversum alterum contendet, perpetuoque rixabitur ob diversas inter sese hominum opiniones, ac adinventiones, & quidem in iis, quæ respiciunt dogmata fidei, rationem pie, & sancte vivendi, e quibus pendet æterna salus. Nonne ista vera est confusa Anarchia? Num talem incomptam, incertam, turbulentam potuit Ecclesiam suam constituere Christus Dei Filius, Patris æterna Sapientia, ac bonitatis thesaurus, splendor Patris, & figura substantiæ ejus? Videatur præcedens Append. ad Ruthenos (Num. XVIII. XXI.)

CAPITULUM IV.

(*Ex hæresi spiritus privati a Novatoribus invecti absurda, & impia consequuntur; unde magis magisque probatur insania auctorum, & sectatorum ipsius doctrinæ*) Veritas ista Catholica, quod soli Ecclesiæ infallibilitatem in veritatibus ad fidem, & mores pertinentibus largitus fuerit Dominus Jesus; quodque per consequens hæreticum contineatur commentum in spiritu privato a Novatoribus excogitato ad suos tegendos errores, invicte adhuc rationibus confirmatur, & factis. Sane, quemadmodum Ecclesia Catholica *una est* unitate consociationis, fidei, & eorumdem Sacramentorum, quoniam „ *Unus Dominus, una fides, unum Baptisma* „ (*Ephes.* 4. 5.); atque *unitas* nota est veræ Catholicæ Ecclesiæ, ac character veræ fidei (quam semper immutatam, & immaculatam tenuit, tenet, tenebitque Ecclesia ipsa), quia fides Divina Primæ, ac Supremæ veritati Dei, hoc est Deo ipsi innititur, qui necessario unus est; ita è diverso *inconstantia in fide, incertitudo, & quoad idem objectum opposita multiplicatio credendorum* (quæ ex spiritus privati radice oritur, ut ostendimus, & mox adhuc probaturi sumus) *nota est confusionis, & character erroris*, seu fructus terræ illius tenebrosæ, & opertæ mortis caligine, terræ miseriæ, & tenebrarum, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Audiamus Tertullian. de Præscript. cap. 4. „ Quin potius „ (ait) memores simus tam Dominicarum prænunciatio„ num, quam Apostolicarum litterarum, quæ nobis & fu-

„ turas hæreses prænunciarunt, & fugiendas præfinierunt:
„ & sicut esse illas non expavescimus, ita posse id, propter quod fugiendæ sunt, non miremur. Instruit Dominus, multos esse venturos sub pellibus ovium rapaces lupos. Quænam istæ sunt pelles ovium, nisi nominis Christiani extrinsecus superficies? Qui lupi rapaces, nisi sensus, & spiritus subdoli ad infestandum Christi Ovile intrinsecus delitescentes? Qui pseudo-Prophetæ sunt, nisi falsi prædicatores? Qui pseudo-Apostoli, nisi adulteri evangelizatores? Qui anti-Christi interim, & semper, nisi Christi rebelles? Nunc sunt hæreses non minus doctrinarum perversitate Ecclesiam lacessentes, quam tunc Antichristus persecutionum atrocitate persequetur: nisi quod persecutio & martyres facit, hæresis apostatas tantum. Et ideo *hæreses quoque oportebat esse, ut probabiles quique manifestarentur*, tam qui in persecutionibus steterint, quam qui ad hæreses non exhorbitaverint. Neque enim eos probabiles intelligi jubet, qui in hæresim fidem demutant, sicut ex diverso sibi interpretantur, quia dixit alibi „ Omnia examinate, quod bonum est tenete „ Quasi non liceat, omnibus examinatis, in electionem alicujus mali impingere per errorem „. Schema hoc est vivissimum, atque verissimum hæreticorum, & hæresum; nempe illi, scilicet hæretici, Antichristi sunt, Christi rebelles, & antiqui deceptoris Serpentis imitatores, ac proinde a parte mendacii, tergiversationis, & inconstantiæ in seducendis incautis, quoniam nunc his, dein aliis armis in seductione uti solet veritatis inimicus, qui mendax est ab initio; istæ autem, hoc est, hæreses vocem demutant, prius perniciosum illud dogma proferentes, postea vero, cum falsitas verborum suorum in lucem editur, convertentes sese ad alia æque erronea, fideique contraria, & ideo numquam in eodem statu permanentes. Hoc præmonuit laudatus Tertullian. de Præscript. cap.42.: „ Mentior (ait) si non etiam a regulis „ suis variant inter se (hæretici) dum unusquisque proinde „ suo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de „ suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Agnoscit na„ turam suam, & originis suæ morem profectus rei. Idem

,, licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis ,, quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare. Denique ,, penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum Auctori- ,, bus suis dissentientes deprehenduntur. „ Patent ista, quæ asserimus, ex historiis hæreticorum, & hæresum; sed ne carpamur ab aliquo, quasi sine teste, ac documento loquamur, oculi ictum ad Lutherum rapido cursu convertamus, & ad modernos Dissidentes, qui tum cum seipsis, tum etiam inter se pugnant quoad eadem fidei capita. Profitebatur Lutherus Catholicam Romanam fidem antequam ab ira in vesaniam ageretur; sed anno 1517. contra doctrinam Ecclesiæ Romanæ (seu Catholicæ) de Indulgentiis vexillum erigere cœpit, & nonaginta quinque Propositiones adversus Indulgentias edidit, quas foribus Templi omnium Sanctorum Wittemburgi affixit die 31. Octobris ejusdem anni; talique pacto fidem in hæresim demutavit, quod de aliis quoque novorum dogmatum, h. e. hæreseon, architectis, ac parentibus, nec non de istorum asseclis, atque discipulis dicendum est, qui in Catholicæ Ecclesiæ gremio educati, veræque fidei imbuti lacte, fidei ipsi valedixerunt, ut per venenosa errorum prata misere vagarentur. Ast deinde Lutherus Augustæ adiit Thomam de Vio Cardinalem Cajetanum; eique coram testibus porrexit confessionem fidei his verbis conceptam: „ Ego F. Martinus Luther Au- ,, gustinianus protestor me colere, & sequi Sanctam Ro- ,, manam Ecclesiam in omnibus meis dictis, & factis præ- ,, sentibus, præteritis, & futuris. Quod si quid contra, ,, vel aliter dictum fuit, vel fuerit, pro non dicto haberi, ,, & haberi volo „. Videatur Joannes Cochlæus in Actis, & scriptis Lutheri. Verum promissis haud stetit hæresiarca, sed pluribus sese dein inseruit erroribus, quibus perfracto animo patrocinatus est: En iterum in fidei negocio demutatio. Quot, ac quales fuerint Sectatorum Lutheri, Calvini, aliorumque Novatorum recessiones ab his etiam, in quibus a fide prius recesserunt; quæ in iis inconstantia, quæ doctrinarum ad opposita contrarietas, peti facillime, saltem ex parte, queunt ex Historia Variationum Ecclesiarum Protestantium a doctissimo Præsule Jacobo Benigno Bossuetio conscripta: *Saltem ex parte* dixi, quia post istius

Scriptoris ætatem alia, & alia Sectarii commenti sunt monstra doctrinæ, quoniam stulti ut luna mutantur, itaut istis aptari possit quod fatus est S. Augustinus de peccato primi hominis in Enchiridio; nempe; trahi hæreticos peccato hæresis „ *per errores, doloresque diversos ad illud extremum cum desertoribus Angelis vitiatoribus, & possessoribus, & consortibus suis sine fine supplicium* „; atque hoc expresse de Luthero videbimus, se a Cacodæmone institutionem habuisse affirmante. Et vero, typis Genevæ editum fuit anno 1654. Syntagma Confessionum Fidei Novatorum. Nolumus (quum nostri, qui brevitatem sedulo sectamur, non sit nunc instituti) singula recensere, proindeque ad memoratum Bossuetii Opus, qui volet, amandamus. Sufficiat hic animadvertere, eorum Dissidentium Sectas, cum quibus agimus, multioties, nisi etiam jugiter dicere velimus, Fidei Confessiones adeo novasse, ut in pluribus articulis vicissim contrariæ reperiantur, quamvis in Præfatione hujusmet Syntagmatis proponantur, Opus quidem, *qua Corpus integrum Sacræ Theologiæ*; Confessiones autem, qua *regulæ auctoritate pollentes, ad quas confugere oporteat ad discernendum fidem primitivam, & antiquam*. Re hucusque perducta; hæc etiam rerum gesta vocamus in testes eorum, quæ asserimus, ad confutandos, extirpandosque errores, qui subintroducti sunt postrema ævi Christiani ætate contra S. Ecclesiæ fidem, quæ una semper, & absque macula omnium oculis lux purissima fulsit, atque fulgebit. Dicant nobis quicumque sunt Adversarii nostri: Potest-ne Spiritus Sanctus mentiri? Potest Divinus Veritatis Spiritus, qui cum Patre, & Filio simul adoratur, qui loquutus est per Prophetas, sibi ipsi contradicere? Injuriosa in Deum hæc verba essent. Si Spiritus Sanctus, ut Novatores misere decepti, ac misterius decipientes dicunt, infallibilitatis dono in rebus fidei, & morum interius ornat singulos fideles; numquid tale donum negant Ecclesiæ Christi? Paradoxum hoc est. Ad hæc; Si Spiritus Sanctus per institutionem internam Lutherum, ex. gr. clarificavit ita, ut falli non posset, num non pari modo adstitit Calvino, ceterisque novitatum Doctoribus, eorumque discipulis, ac sectatoribus? Contradictio hæc est. Quibus positis, res tota brevi argu-

mentatione conficitur. Ecclesia Jesu Christi docuit, docetque Spiritu Sancto magistro fidei veritates, quibus errores Novatorum damnat, ac cœlesti mucrone configit; Novatores sese ab Ecclesia Catholica separantes, doctore Sancto Spiritu (ut ipsi comminiscuntur) prædicant oppositas dogmatibus ipsius Ecclesiæ doctrinas, easque ut a Spiritu Sancto dictatas populis satagunt propinare. Præterea; dato privati Novatorum Spiritus hæretico invento, Paraclitus Lutherum docuit prius infallibiliter dogmata Catholicæ Ecclesiæ, quæ confessus est, postea vero alia ipsum docuit infallibiliter dogmatibus ejusdem Ecclesiæ omnino contraria: Docuit Lutherum ista; simulque, aut paulo post, adversa doctrinis Lutheri infallibiliter docuit Calvinum, Melanctonem, & alios Novatores, qui tum sua, tum posteriori ætate vixerunt: Hæc autem omnia interiora Spiritus Sancti documenta, quoad fidei articulos, ac dogmata, infallibiliter secundum Novatores data sunt, & dantur in dies, unde plurimi ex insignioribus inter Protestantes declarant hodie, quo jure Lutherus olim, ejusque Adstipulatores Ecclesiæ Catholicæ restitere, eo se adversus primos illos novarum Sectarum Auctores uti velle: Ergo, quoniam ex duobus doctrinæ Capitibus inter sese invicem adversis, & pugnantibus verum est unum, alterum falsum, sequitur Spiritum Sanctum in docendo sibi ipsi esse contrarium, & uni falsum infallibili magisterio interius loqui, alteri verum; proindeque mutabilem, & inconstantem; insuper mendacem, & falsum esse Dei Spiritum a Patre, Filioque substantialiter procedentem, a Patre, ac Filio missum, & Spiritum Veritatis. Impia dictu, auditu horribilia! En quo abripiant prophanæ novitates; en quo præcipiti casu ruant, qui ab Ecclesia, ejusque magisterio, institutis, communione, in sui, aliorumque perniciem desciscunt!

CAPITULUM V.

(*Una Ecclesia Catholica, quæ sub Romano Pontifice consociatur, Apostolica est; Sectæ reliquæ a patre Diabolo sunt*) Ecclesiam veram nedum unam, & Catholicam, sed etiam *Apostolicam* esse confitemur in Symbolo, quoniam ab Apo-

stolis ipsa accepit, quæ Apostoli acceperunt a Christo. Hæc igitur fuit ab initio, statim scilicet ac Christus Ecclesiam sibi acquisivit, atque constituit, proindeque originem suam ab Apostolis trahit, qui a Christo electi, ac missi sunt, ac per consequens ab Ipso est Servatore Divino. Hac Apostolicitatis nota Ecclesiam illam unam, quæ sub Capite visibili Romano Pontifice consociatur eadem fide, iisdemque Sacramentis, ornari demonstravimus hoc Opusculo, præsertim in Proœmio, docentque Patres, quorum scita commemoravimus, e quibus nunc seligimus unum Tertullianum de Præscription. adv. hæret. cap. 36. „ Age jam „ qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis; „ percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsæ adhuc „ Cathedræ Apostolorum suis locis præsident; apud quas „ ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur sonantes vocem, „ & repræsentantes faciem uniuscujusque. Proxima est ti„ bi Achaja? Habes Corinthum . . . . . Si autem Italiæ „ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas „ præsto est. Ista quam felix Ecclesia! Cui totam doctri„ nam Apostoli cum Sanguine suo profuderunt: ubi Petrus „ Passioni Dominicæ adæquatur; ubi Paulus Joannis exitu „ coronatur: ubi Apostolus Joannes posteaquam in oleum „ igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur: „ Videamus quid didicerit, quid cum Africanis quoque Ec„ clesiis contesserarit. Unum Deum novit Creatorem uni„ versitatis, & Christum Jesum ex Virgine Maria Filium „ Dei creatoris, & Carnis resurrectionem: Legem, & Pro„ phetas cum Evangelicis, & Apostolicis litteris miscet, „ & ita potat fidem, eam aqua signat, Sancto Spiritu ve„ stit; Eucharistia pascit, Martyrium exhortatur, & ita „ adversus hanc institutionem neminem recipit. Hæc est „ institutio, non dico jam, quæ futuras hæreses prænun„ tiabat, sed qua hæreses prodierunt. Sed non fuerunt ex „ illa, ex quo factæ sunt adversus illam. Etiam de Olivæ „ naucleo mitis, & opimæ, & necessariæ, asper Oleaster „ oritur &c. „. Ast hi, qui nobiscum decertant, nosque aversantur, & novissime singulares Ecclesias suas sibi ædificarunt, qui sunt? Wicleffitæ, Hussitæ, Lutherani &c.: Et unde venerunt? A Wicleff, ab Hus, a Luthero &c.

Non fuerunt isti Apostoli Christi, nec ab Apostolis originem habuerunt. Enim vero probent, si possunt, Novatores, se audivisse ab Apostolis, aut se novos Apostolos esse. Invictissime hoc modo refutabat, & convincebat hæreticos Tertullianus cit. Op. de Præscription. cap. 30. „ Ubi „ tunc Marcion (inquit) Ponticus Nauclerus? . . . . . . „ Ubi Valentinus? . . . . Nam constat illos, neque adeo „ olim fuisse . . . . & in Catholicæ primo doctrinam cre- „ didisse apud Ecclesiam Romanensem sub Episcopatu „ Eleutheri benedicti, donec . . . . novissime in perpe- „ tuum dissidium relegati, venena doctrinarum suarum „ disseminaverunt . . . Oportebat enim hæreses esse. Nec „ tamen ideo bonum hæreses, quia eas esse oportebat. Qua- „ si non & malum oportuerit esse. Nam & Dominum „ tradi oportebat: Sed væ traditori, ne quis etiam hinc „ hæreses defendat. Si & Apellis stemma retractandum „ est, non tam vetus & ipse quam Marcion institutor, & „ præformator . . . Quamquam & de operibus suis, ut „ dixit Dominus, revincuntur. Si enim Marcion novum „ Testamentum a vetere separavit, posterior est eo, quod „ separavit, quia separare non posset nisi quod unitum „ fuit . . . . Item Valentinus aliter exponens (quod fece- „ re Novatores), & sine dubio emendans, hoc omnino „ quicquid emendat, ut mendosum, retro (qualis est ea, quæ ab Ecclesia usque a principio tradita est, Sacrarum Scripturarum genuina explicatio, quamque Dissidentes se emendare velle audacter affirmant) anterius fuisse demon- „ strant. Hos ut insigniores, & frequentiores adulteros ve- „ ritatis nominamus (quod & nos fecimus nominando Lutherum, Calvinum, aliosque primores inter recentes hæreticos). Ceterum & Nigidius nescio quis, & Hermogenes, „ & multi alii, qui adhuc ambulant pervertentes vias Dei, „ ostendant mihi ex qua auctoritate prodierunt . . . Pro- „ bent, se novos Apostolos esse: dicant, Christum ite- „ rum descendisse, iterum ipsum docuisse, iterum cruci- „ fixum, iterum mortuum, iterum resuscitatum: Sic enim „ Apostolos solet facere; dare illis præterea virtutem eadem „ signa edendi, quæ & Ipse. Volo igitur & virtutes eorum

„ proferri, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, „ qua Apostolos in perversum æmulantur. Illi enim de „ mortuis vivos faciebant; isti de vivis mortuos faciunt „; *& cap.* 31. „ Sed ab excessu revertamur ad principalita„ tem veritatis, & posterioritatem mendacitatis disputan„ dam ex illius quoque parabolæ patrocinio, quæ bonum „ semen frumenti a Domino seminatum in primore consti„ tuit, avenarum autem sterilis fœni adulterium ab inimi„ co diabolo postea superinduit. Proprie enim doctrinarum „ distinctionem figurat, quia & alibi Verbum Dei seminis „ similitudo est: Ita ex ipso ordine manifestatur, id esse „ Dominicum, & verum quod sit prius traditum; id au„ tem extraneum, & falsum quod sit posterius immissum. „ Ea sententia manebit adversus posteriores quasque hære„ ses (inter quas sunt & illæ, quæ a Novatoribus aut inventæ sunt, aut ab aliis antiquioribus hæreticis acceptæ), „ quibus nulla constantia de conscientia competit ad defen„ dendam sibi veritatem „: A quo igitur, nam non a Jesu Christo (cum Tertulliano Dissidentes modernos interrogamus), Novatores electi, docti, missi sunt? Contremiscunt genua mea, & articuli manuum mearum dum horrenda refero. Lutherus ipse blasphemus, & Zabuli amicus, ac membrum, libro „ De abroganda Missa privata „ refert collationem suam cum Angelo tenebrarum habitam, qua (ut asserit) plane convictus diabolicis verbis Missam, quam privatam vocat, abrogavit ut impiam. Exprimit ille, vivisque coloribus pingit colloquium, tenebrosum vere, ac maxime tetrum, & horribile, uno verbo *Diabolicum*. In eo describendo addit, pluries se cum caco-dæmone disputasse; atque in iis collationibus multa didicisse eum contra Catholicam fidem abominanda commenta, quibus alios ipse fascinavit, facile poterit judicari. Ita spiritu mendacii, & impietatis usus est Lutherus; ex eademque Schola prodierunt Wicleff, Hus, aliique, quos nominavimus. Igitur ex Patre diabolo sunt, & a diabolo missi ad superseminanda zizania in medio tritici. Hoc affirmavit de Ethnicis, atque in universum de hæreticis citatus Tertullianus d. lib. „ De Præscript. cap. 40. „ Sed quæritur (ait) a quo intellectus „ interpretetur eorum, quæ ad hæreses faciant? A diabolo

„ scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem : qui „ ipsas quoque res Sacramentorum divinorum idolorum „ mysteriis æmulatur . . . . Qui ergo ipsas res, de quibus Sacramenta Christi administrantur, tam æmulanter „ affectavit exprimere in negotiis idololatriæ, utique & „ idem, & eodem ingenio gestiit, & potuit instrumenta „ quoque Divinarum rerum, & Sanctorum Christianorum, „ sensum de sensibus, verba de verbis, parabolas de parabolis, prophanæ, & æmulæ fidei attemperare. Et ideo, „ neque a Diabolo immissa esse spiritualia nequitiæ, ex „ quibus etiam hæreses veniunt, dubitare quis debet, neque ab idololatria distare hæreses, quum & Auctoris, & „ operis ejusdem sint, cujus & idololatria &c. „

Scio, Novatores esse dicturos, quod Ecclesia Catholica, quæ primis a nativitate sua temporibus immaculata fulgebat fide, dein a Sæc. 3., aut 4. a vera fide recessit, & aberravit. Audiant isti Jesum Christum dicentem Apostolis „ Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad „ consummationem Sæculi „ (*Matt. ult.* 20.) Quo in loco notandum est, Christum Dominum hoc dixisse Apostolis „ Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam . . . . „ Et accedens Jesus loquutus est eis dicens „; Sed ita dixisse, ut in ipsis ad Ecclesiam suam etiam verba converteret, quoniam ait eis „ Euntes ergo docete omnes gentes, „ baptizantes eos . . . . docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis „, ac deinde subdidit recitata verba „ Ecce ego &c. „ Quemadmodum autem in Ecclesiá, quam constituit Christus, indeficienter per omnia, & singula sæcula usque ad Mundi finem perseverare debent fidei, & Legis Divinæ prædicatio, nec non & collatio Baptismi; ita & Jesu Christi patrocinium, & obumbratio pariter, ne erret in doctrina fidei, ac morum, ob hæc promissa nusquam ei deesse aut potuere, aut poterunt. Ac ne ullus errandi occasionem sibi sumeret; se „ omnibus diebus „, omni scilicet ævo „ usque ad consummationem sæculi „ dixit Ecclesiæ suæ affuturum. Num promissis suis defuit Redemptor Mundi Ecclesiam deserendo itaut a vera fide ista recederet inserendo se erroribus multis? Num Christus, de quo testatur Paulus (*Ephes. ult.* 25.) quod „ dilexit Eccle-

„ siam, & semetipsum tradidit pro ea „, adeo eam odivit, ut a sæc. 3. eam a se rejiceret, eamque obumbrare cessaret? Monstra sunt hæc impietati conjuncta.

CAPITULUM VI.

(*Quæ Ecclesia Catholica de fide tenet, ac definit dogmata fidei sunt; omnia autem his contraria, quæ hæretici spargunt, hæreses sunt*) Probavimus invictis argumentis usque ad triumphum, Ecclesiam *unam* esse, & hanc nonnisi *Catholicam Romanam*, in qua sedet Pontifex B. Petri Successor; istius Ecclesiæ fidem veram esse fidem, quam Sancti tenentes vicerunt regna, inter quos merito nominandus S. Hippolytus Presbyter, & Martyr, qui eo sæculo passus est, in quo ex concessis etiam a Novatoribus fides in Ecclesia defectum nullum patiebatur. Hic jam jam vitam daturus pro Christo Jesu Antiochiæ, rogatus a suis, quænam secta verior esset, respondit, eam fidem servandam, quam *Petri Cathedra custodiret*, quibus dictis cervicem Carnifici præbuit, ac trophaeum Domini cruore signavit (Martyrol. Rom. ad diem 30. Januarii). Ostendimus, in eadem vera fide semper, & indefectibiliter stabilem esse Ecclesiam, & in ea proponenda infallibilem: Ex Christi Jesu institutione Ecclesiam visibilem, eamque Apostolicam: Sicuti e contrario humana adinventa esse Ecclesias Novatorum; commentaque ea omnia, quæ ab ipsis prædicantur; nempe in privata unicuique a Spiritu Sancto concessa illuminatione, & inspiratione constitui regulam fide Divina credendi; Ecclesiamque instituto, ac natura sua invisibilem esse debere, ex qua nove introducta ab illis invisibilitate oritur Ecclesiæ multiplicatio, aut, quod idem est, Altare prophanum Novatorum erigitur, & constituitur contra verum, sacrumque Altare, & Ecclesia Anti-Apostolica (quæ certe Ecclesia non est) novissime subintroducta contra antiquam, primitivam, Apostolicam, a Domino N.J.C. originem suam repetentem. Ad hæc, quicquid Ecclesiæ Catholicæ Christus concessit nusquam deficiet „ *Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei* „ (*Rom.* 11. 29.); ac „ *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* „

dixit Jesus (*Matt.*24.35.) . Tandem pro Catholica Ecclesia præscriptum est dudum ; ac proinde nullo modo contra eam Sectarii obloqui possunt ut pluribus asserit Tertullianus toto Opere „ *De Præscriptionibus* „ . Quare ea omnia , quæ Ecclesia Catholica de fide tenet , definit , ac docet Divinæ veritates sunt, ad depositum fidei spectantes, dogmata sunt : omnia autem (quotquot ea sunt) , quæ Neoterici, & Sectarii contraria Ecclesiæ ipsius doctrinæ , ac definitionibus effutiunt, & spargunt monstra sunt , prophana sunt, hæreses sunt.

CAPITULUM VII.

Oblatum fuit nobis volumen mole quidem parvum , sed gravitate sententiarum animadversione dignum . Qua de re operæ pretium visum est nobis nonnulla ex eo carpere & aliquantulum exornata, & aucta hoc Capitulo comprehendere : Nempe

1. (*Vera J.C. doctrina ea est , quam Ecclesia ab initio tenuit ; hanc autem tradit etiam nunc una Ecclesia Catholica Romana*) Ea doctrina vera est Jesu Christi doctrina , quam professa est Ecclesia primitiva, & docuerunt SS. Patres , & Pastores , qui prima vixerunt æra Catholicæ Ecclesiæ . Doctrina autem , quam hodie sola tenet Romana Ecclesia eadem est cum illa , quam docuerunt Ecclesia Catholica , & SS. Patres usque a primordiis, quod Doctores nostri fuse , solideque probant in scriptis suis , quæ publici juris sunt : Ergo doctrina , quam hodie sola tradit Romana Ecclesia vera est J.C. doctrina .

2. (*Ea doctrina falsa est , quam primitiva Ecclesia damnavit ; talis vero ea est , quam Novatores recenter invenerunt*) Ea doctrina falsa est, nec vera potest esse aliquando, quam primitiva Ecclesia damnavit : atqui dogmata inventa a recentioribus, qui se Reformatos dicunt, multa habent, quæ a primitiva Ecclesia diris devota fuere , ergo hæc ipsa dogmata alias ab Ecclesia damnata de hæresi convincuntur . Ad probationem horum, quæ dicimus , observanda sunt : Novatores isti suis insinuare satagunt, bona opera necessaria

non esse ad salutem, sed ad eam obtinendam sufficere fidem sine operibus; hic autem error in Eunomio, qui virus hæresis suæ sparsit anno Christi circiter 360. damnatus est; docuit enim hæresiarca pessimus, quorumlibet peccatorum commissa, ac in iis perseverantiam nihil eis obesse, qui fidei, quam tradebat, participarent (ex S. August. lib. de hæresib.), & sicut addit S. Epiphanius nulla fuit apud Eunomianos cura sanctitatis, nec jejuniorum, aut mandatorum Dei, cæterarumque rerum, quæ hominibus Divino mandato præscriptæ sunt (Videat. Natalis Alex.Hist. Eccles. sæc. 4. art.7. num. 11.): Insuper, Novatores venerandas non esse dicunt Reliquias SS. Martyrum, quas reliquias memoratus Eunomius pariter contempsit, post ipsum hæreticus Vigilantius, ac deinde Iconoclastæ turbulentissimi, atque immites, & homicidæ hæretici: „ Rides „ (ait S. Hieronym.lib. advers. Vigilantium) „ De Reliquiis Martyrum, „ & cum auctore hujus hæreseos Eunomio Ecclesiis Christi „ calumniam struis, nec tali societate terreris „ (observent Dissidentes) „, ut eadem contra nos loquaris, quæ ille „ contra Ecclesiam loquitur „ (De SS. Reliquiis viden. quæ fusius dicimus in seq. Append. III. sub Num. XII. num.7.): Traditiones Apostolicas rejiciunt iidemmet Neoterici, neque ex iis certissimum ad fidei dogmata argumentum trahi vanissime effutiunt, quamvis Apostolus ad Timoth. 1.6.v.3. definiat „ Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis ser- „ monibus D.N.J.C., & ejus, quæ secundum pietatem est „ doctrinæ „ (non dicit sermonibus, & doctrinæ, quæ in Scripturis tantummodo continentur) „ superbus est, nihil „ sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verbo- „ rum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blas- „ phemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum „ mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existi- „ mantes quæstum esse pietatem „; & ad Galat. 1. v. 9.: „ „ Si quis vobis evangelizaverit, præter id, quod accepistis „ anathema sit „. Quibus ex locis recte Origenes 3. Ecclesiæ sæculo in Comment. ad Titum (cujus locus refertur in Apologia Pamphilii) concludit, hæreticum eum esse, qui se Christo credere profitetur, & aliud de veritate fidei Christianæ tenet, quam habeat traditio Ecclesiastica; & in Pe-

riarch. lib. I. pag. 404. Edit. Genebr. „ illa sola credenda „ est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat tra- „ ditione „ Quod S. Ignatius M. (apud Euseb. hist. lib. 3. cap. 36. Ruffin. Aquilej. interprete) sollicite docebat fideles: „ Qui cum (ait ibi Eusebius) per Asiam sub custodia navi- „ garet, singulas quasque disgrediens Civitates, Ecclesiæ „ populos Evangelicis cohortationibus edocebat, in fide „ persistere, & observare se ab haereticorum contagiis, „ qui tunc primum copiosius cœperant pullulare, & ut di- „ ligentius, & tenacius Apostolorum traditionibus inhae- „ rent, quas traditiones cautelae gratia, & ne quid apud „ posteros remaneret incerti, etiam scriptas se asserit re- „ liquisse „. Haereticorum contagiis traditiones, veluti saluberrima pharmaca S. Ignatius opponit; quare pro haereticis eo tempore ab Apostolorum discipulis habiti sunt qui Ecclesiae traditionibus contradicerent. Neque aliud tenebat Egesippus, de quo idem Euseb. hist. Eccles. lib. 4. cap. 8. scribit: „ extiterunt praeterea per Divinam gratiam viri ea „ tempestate „ (scil. secundo Ecclesiae saeculo) „ erudi- „ tissimi, qui probabiliter, & sufficienter obscaena haere- „ ticorum commenta convincerent, & quid vera fides in „ Ecclesia Catholica castitatis haberet, ostenderent. In „ quibus Egesippus celeberrimus habebatur, qui integer- „ rimam traditionem Apostolicæ praedicationis simplici ser- „ mone conscriptam in quinque libris memoriae tradidit „. Observent Novatores, celeberrimum ab omnibus inter eruditissimos fidei catholicae assertores habitum fuisse Egesippum, qui nomini suo honorem debitum auxit, & confirmavit praeclarissimis libris de Apostolicae praedicationis traditionibus. Equidem quotquot in Ecclesia floruere Graeci, Latiniq. PP. firmissime traditionibus adhaeserunt, itaut (ne de caeteris loquamur) *S. Augustinus*, quem summa sapientia, & doctrina, ac purissima sanctitate fuisse praeditum non negabunt Dissidentes, plura fidei Catholicae dogmata traditione probet, ut puta, Virginitatis Bmae Virginis Mariae lib. de Eccles. dogmat. c. 69.; de non iterando Baptismo lib. 2. de Bapt. c. 7.; de Suffragiis pro mortuis Serm. 172. als. 32. de Verb. Apost. in illud I. ad Tessalon. 4. v. 12.: „ Hoc enim (ait) a Patribus traditum universa ob-

„ servat Ecclesia, ut pro eis, qui in Corporis, & Sangui-
„ nis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum
„ Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro il-
„ lis quoque id offerri commemoretur . . . . illa, quae
„ adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes,
„ erogationes multo pro eis (mortuis) observantius, in-
„ stantius, abundantius impendant (homines), qui suos
„ carne non spiritu mortuos non solum carnaliter, sed
„ etiam spiritualiter amant „. Quae adeo vera sunt, ut penes Lutherum ipsum traditio Ecclesiae principalis, & potioris, nempe Romanae (quam omnium antiquissimam videre in votis habuit Origenes apud Euseb. hist. lib.6.cap.11. vers. Ruffin.) tam grave, & inconcussum pondus habebat, ut in Respons. ad Prierat. ad 14. & 15. Conclus. (Tom. 1. Opp. fol.52. edit. Jenae an. 1556.) scriberet: „ Gratias ago
„ Christo, quod hanc unam Romanam Ecclesiam in terris
„ ita servat, ingenti, &, quod solum possit probare fi-
„ dem nostram esse veram, miraculo, ut numquam a ve-
„ ra fide ullo suo Decreto recesserit; nec tot barathris pes-
„ simorum morum diabolus tantum efficere potuit, ut pe-
„ nes hanc non maneret ab origine sua Canonicorum Bib-
„ biae librorum, & Ecclesiasticorum Patrum, & Inter-
„ pretum auctoritas, & auctoritatis sincera professio „. Adeo persuasum erat Luthero, praeter Divinas Scripturas, traditiones de fide continere verbum Dei, easque tenendas, ut pro certo ei esset, quod Romana Ecclesia nedum Verbo Dei scripto, quod in sacris paginis continetur, & penes omnes Ecclesias custoditur, sed etiam traditionibus suis veram, sanamque fidei doctrinam universum Orbem doceret. De hoc argumento videatur *Prœmium ad præsens Opusc.: De Romani Pontificis Primatu jurisdict. in Universum Orbem*.

3. (*In Ecclesiæ Romanæ fide, & comunione viventes salvari in æternum possunt; ergo pessimo consilio Dissidentes ab ea manent divulsi*). Qui in fide, & comunione Catholicæ Romanæ Ecclesiæ vivunt aut æternam possunt salutem consequi; aut vero non: Si dicant Dissidentes, neminem, qui eam fidem profitetur, ac illi comunioni adhæret salvari in æternum posse, sequitur, nullum Catholicæ Romanæ Ecclesiæ ad-

hærentem per spatium saltem mille ducentorum circiter annorum, quot a tertio æræ Christianæ sæculo usque ad Lutherum numerantur, in Dei gloriam fuisse ingressum, Christo Jesu Ecclesiæ ipsius Sponso per duodecim sæcula Ecclesiam Sponsam suam (cui se omnibus diebus usque ad consummatione sæculi adfuturum promisit), omnesque fideles penitus deserente. Oh magnam in Jesum Christum injuriam! Oh immitem, & durissimam Novatorum doctrinam! imo etiam intollerandam, quæ tot sanctissimos viros, ac SS. Patres omnes in infernum detrudit, qui moribus suis purissimis universas Nationes illustrarunt. Sin autem concedant, salvari eos posse, qui in Ecclesiæ Catholicæ fide, & societate versantur, qua de causa Lutherus, Calvinus, ac sui, a Catholica Ecclesia exierunt, & a nobis, nec volunt esse nobiscum?

4. (*Ecclesia Catholica nusquam, nec a tertio æræ Christianæ sæculo, defecit*). Obganniunt prætensi Reformati, anno circiter tercentesimo, ut nonnulli eorum, seu quingentesimo, ut alii, Ecclesiam Christi defecisse. Ast vero; dicant nobis: Universa Ecclesia uno, eodemque momento ab Orbe disparuit, aut temporis progressu? Primum a nemine assertum putamus, quia paradoxum diceret quisquis hoc diceret, esset enim idem ac fingere, quod Christiani omnes cubitum noctu ivissent Catholica in fide stabiles, & diabolo resistentes fortes in fide, ac surrexissent de mane apostatæ, Christi Jesu inimici, veræ ejus doctrinæ proditores, & falsæ sectæ seu magistri, seu discipuli: Sin autem paulatim Ecclesiam ipsam delapsam fuisse velint, nonnullis hoc, aut illud nunc fidei dogma, aliis subinde alterum articulum negantibus, certe hos falsi nominis scientiæ sectatores Ecclesia vera tunc permanens anathematibus perculisset, & a mystico Christi Corpore resecasset, quod revera semper ab initio sanctissime fecit. Si ergo amantissima Domini Nostri, ac sacri depositi custos diligentissima Ecclesia Catholica hæreses omni ævo subnascentes semper damnavit, quod patet quibuscumque vetustiora, recentioraque monumenta legentibus; fateri necesse debet quod Ecclesia a principio, ac deinde semper usque ad nos fidem, quam ab Apostolis accepit, & Apostoli a Christo intactam

custodierit, eamque fuerit professam, sicuti & nunc Catholica Romana eam profitetur, tenet, docetque Mundum.

5. (*Ecclesia Catholica Romana iter ad cælum proponit arctum, & per angustam portam; igitur vera est Ecclesia; e contrario falsæ sunt societates Dissidentium latam sternentes viam ad salutem*) Ea Ecclesia vera credenda est Christi Ecclesia, quæ fidelibus suis iter ad cælum proponit arctum, & per angustam portam; falsa autem ea est, quæ latam viam, atque spatiosam carnis desideriis explendis aptam reserat sequacibus suis: Christus enim ait „: Intrate per an„ gustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ „ ducit ad perditionem . . . . . Quam angusta porta, & „ arcta via est, quæ ducit ad vitam „ (Matt. 7. v. 13. 14.) Atqni Romana Catholica Ecclesia docet, viam arctam terere debere eum, quæ vult salvus fieri; è contra prætensi Reformati latissimum callem sternunt asseclis suis; illam ergo veram, istam falsam, animalem, terrenamque esse Christus ipse ore suo pronunciavit. Sane, interrogare si quis velit tum Catholicam Romanam Ecclesiam, tum & Reformatorum sectam: „ Quid faciendo vitam æternam possidebo„? (Luc, 10. 25.) Romana respondet: observando mandata Dei; abstinendo se a peccatis, a concupiscentia carnis, & oculorum, ac superbia vitæ; conscientiam expiando Sacramentali confessione culparum; exercendo pœnitentiæ labores pro admissis; per misericordiæ actus, mortificationem Christianam, aliaque opera bona in unione meritorum D. N. J. C. certam nostram vocationem, & electionem faciendo (Petri II. 1.10.). Hæc tradunt PP. Latini, ac Græci cum sacris utriusque Testamenti litteris concinentes, qui præcepta, ac regulas dederunt ducendi vitam christiano homine dignam, docentes omni nos custodia debere custodire cor nostrum, moresque componere ad charitatem, castitatem, justitiam, aliasque virtutes. Sufficiat pro instituti nostri ratione afferre verba S. Gregorii PP., qui in Romana Cathedra sedit 6. Ecclesiæ sæculo „ (homil. 12. in Evang. „ S. Matt.): „ Sæpe vos, fratres carissimi, admoneo prava „ opera fugere, mundi hujus inquinamenta devitare, sed „ hodierna S. Evangelii lectione compellor dicere, ut & bo„ na, quæ agitis, cum magna cautela teneatis, ne per

„ hoc, quod a vobis rectum geritur, favor, aut gratia hu„ mana requiratur, ne appetitus laudis subrepat, & quod „ foris ostenditur, intus a mercede vacuetur „. Adeo innocens, & cauta sit oportet servorum Christi professio, ut non solum debeant bene agere, sed etiam „ servire illi in sa„ nctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris „ (Cant. Zachar. Luc. 1. v. 74. 75.); gratiæ ejusdem Christi necessitatem confiteri ad bonum vitæ æternæ meritorium exercendum, in eoque permanendum; & omni studio declinare cenodoxiæ fallacissimum spiritum. Reformati autem paucis verbis se expediunt; nempe ajunt, sufficere fidem, se esse justificatum (in cujus fidei determinanda idea maxime laborant „ volentes esse legis Doctores, non intelligentes „ neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant „ 1. Timot. 1. v. 7.) ac solam infidelitatem homines damnare; cæterum fas esse agere quicquid animali homini placet. Hoc praecipuum Lutheri axioma; quod (si de conversatione vitæ loquamur) ultro amplectitur, & cui plaudit non solum Reformatorum, sed etiam omnium Dissidentium caterva. Utinam nulli arrideat doctrina haec turpissima mater libertinitatis! His positis, quae tibi videtur vera Christi Ecclesia; Catholica Romana Ecclesia, seu potius Dissidentium societates?

6. (*Contra eamdem Catholicam Ecclesiam insurrexerunt portæ inferi, quin prævalerent adversus eam, non autem contra Dissidentium Societates; igitur illa vera est Christi Ecclesia, istæ autem adulterinæ sectæ dicendæ sunt*). Ore suo benedicto dignatus est D. N. J. C. Ecclesiæ suæ labores in pugnis, & colluctationibus adversus Principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, & inter hujuscemodi adversitates ejus perpetuitatem asserere verbis illis: „ Su„ per hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae „ inferi non praevalebunt adversus eam „ (Matt. 10. v. 18.) Indubitatum ergo est, Ecclesiam veram J. C. eam esse, contra quam Tyrannorum crudelitas, hæreticorum fallaciæ, atque etiam violenti tormentorum impetus insurrexerunt, quin praevalerent ad ejus frangendam constantiam, ac firmitatem, eamque de statu suo dimovendam, multoque minus destruendam. De una Ecclesia Catholica Romana id

tuto, & absque ulla controversia dici potest; ergo ea sola vera est Christi Ecclesia. De re loquimur nota ex historiis indubitatae fidei, quae in Commentariis publici juris continentur. Evolvite, Dissidentes, obsecramus vos, ac legite serena mente, animoque veritatis inveniendae cupido: Quot fuerunt bella a Paganis in Ecclesiam nostram; quot Carnifices adversus fideles; quot mortes innumerabilium Martyrum, qui Catholicae Ecclesiae inconsutilem vestem sanguine purpurarunt non solum per tria priora æræ Christianae, sed etiam per posteriora, ac recentiora saecula! Hi omnes pro fide Catholicae Romanae Ecclesiae nostrae passi sunt, ejusque testes fuere, & cruore proprio testimonium obsignarunt. Etenim per longa annorum spatia idololatrae, ac heterodoxi Imperatores, & Principes; insuper, & aliorum haereticorum turmae sevierunt in Christianos Catholicae Comunionis, & Ecclesiam matrem nostram crudelissime sunt persecuti, Nero, Decius, Diocletianus &c., Jconomachi Orientalis Imperii gubernacula moderantes, Iaponiæ Reges, Tunkini Tyranni aetatis nostrae suppares, Semiariani Wandali, ceterique, quorum longum esset indicem texere. Talia sustinuit Ecclesia nostra ab initio sui, nempe a tempore Apostolorum, per decem, & octo saecula, quae paucis delineavit Ven. Beda lib. 2. cap. 28. in cap. 6. Marc.. Verum quid valuerunt tot inimici contra eam conspirantes? Prostravere, ne eam in terram? Potuerunt fortasse rabidi illi, validique venti, tempestatesque terribiles ab eis suscitatae hanc PetriNaviculam confringere, aut demergere? Universus Orbis videt oculis suis, omnesque mundi nationes sciunt, Ecclesiam nostram fuisse semper, ac stetisse, & stare hodie, quemadmodum stabit usque ad consummationem saeculorum. Nihil nunc dicimus de sectis Dissidentium, quae persecutae sunt Matrem nostram seu vi, seu calliditate, & vaferrimis mendaciorum involucris, quaeque sectae ad tercentum, & amplius numerantur; Quotquot certe sunt istae, & fuere, omnino carent hac nota Ecclesiae nostrae propria. Pauca tantum addimus de Reformatorum, modernorumque Dissidentium conventibus. Ex inferni latebris exierunt in mundum duobus circiter ab hinc saeculis Wicleffus, Hussus, Calvinus, Zutinglius, aliique

hujus furfuris homines novorum dogmatum magistri. Novi igitur sunt ipsi, novae eorum scholae, & congregationes, seu potius segregationes; ex quo liquet, aptari ipsis non posse verba Christi de sua Ecclesia dicentis: „ Portae inferi non praevalebunt adversus eam „ ; primo, quia de Ecclesia a seipso fundata, quae a seipso initium habuit Dominus loquebatur; deinde, quia Dissidentes talia passi haud sunt, quae Christus praenunciavit, quot enim vos, qualesque sustinuistis Lutheri, Calvini &c. asseclae persecutiones ad tormenta, ad sanguinem, ad neces? Quinam, & quot insectati vos sunt armis, lanienis, ensibus, ut e terra exterminarent memoriam vestram, & domum vestram, quam linistis, e fundamentis everterent? Quibus nam patientia, mansuetudine, fortitudine, & charitate martyrum restitistis? Equidem extendistis aliquanto latius confinia vestra, sed solum ex hoc, quod Principes saeculi vel vitiorum caeno obvoluti, & illicitarum voluptatum impetu acti, vel sophismatum Doctorum vestrorum fallaciis fascinati potentiam suam ad vos obumbrandos exeruerunt. Quod si Catholica Romana Ecclesia spiritualibus armis perculit saepe Societates vestras, haec arma parvipenditis, nec creditis (ut vos ipsos mendaciis tegatis, & conscientiæ fere obruatis voces), Christum Dominum Ecclesiæ suæ potestatem dedisse spirituali gladio percutiendi fidei Catholicæ, & veritatis desertores. Huc perducta oratione; in qua, peto, hæc, de qua loquimur, veræ Ecclesiæ tessera invenitur, in Romana Catholica Ecclesia, an in Conventibus Dissidentium? Videat, non solum dico pius, & religiosus, sed æquus etiam, bonusque rerum æstimator.

7. (*Dissidentes quoniam extra Catholicam Romanam Ecclesiam vivunt animi requiem habere non possunt*). Quia jam multis argumentis demonstravimus, iisque invictis, unam Catholicam Romanam Ecclesiam esse veram J. C. Ecclesiam; dubitari autem non potest, nulli, qui extra veram Ecclesiam est, in illam cælestem gloriam ingredi fas esse, sicuti nec unus sive ex hominibus, sive ex animalibus extra Arcam Noe commune naufragium evasit, quam cordis requiem habebunt ii, qui ab eadem Ecclesia alieni sunt, ac segregati, si memores saltem aliquando sint judiciorum Dei?

CAPITULUM VIII.

(*Ecclesiæ Catholicæ ut verissima dogmata, ita purissima moralia documenta, & sancta in pluribus membris suis conversatio: In sectis autem hæreticorum a Divino timore abalienatio*). Finem imponant Capitulis nostris (quoniam multa, ac solidissima, ut innuimus, disputata inveniuntur a Doctoribus Catholicis ad Novorum sectariorum systemata, commentaque evertenda, ac destruenda, eorumque diluendas falsas ratiocinationes, ac fallacissima sophismata; quæ præclarissima Opera a Nostratibus edita præstat, ut recte disposito spiritu legant, qui adversus nos sunt), finem, dicimus, imponant ejusdem Tertulliani loc. cit. cap. 43., & 44. gravissima monita, atque sententiæ, Ait ille „ & de „ genere conversationis qualitas fidelium æstimari potest: „ doctrinæ judex disciplina est. Negant Deum timendum „ (quod si non expresse docuerunt novarum sectarum Auctores, ex eorum certe doctrina hic etiam fœcundus error profluit, quum is, qui Ecclesiæ Sanctæ despicit magisterium, ac disciplinam, Dei timorem a se longissime depellat; plurimi vero, si non omnes, discipuli, ac descendentes ab illis, de malis in mala semper ulterius prolapsi in scholis Deistarum, ac pseudo-philosophantium perniciosissimas recenter didicerunt impietates, quibus dum Dei in homines providentia negatur, ipsius etiam timor excutitur; atque in futura vita nec pœnas ab impiis expectandas, nec prœmia justis reposita esse statuitur) „ Itaque libera „ (prosequitur Tertullianus) „ sunt illis omnia, & soluta. Ubi autem Deus „ non timetur, nisi ubi non est? Ubi Deus non est, nec „ veritas ulla est. Ubi veritas nulla est, merito & talis dis- „ ciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est „ initium sapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas hone- „ sta, & diligentia adtonita, & cura sollicita, & adlectio „ explorata, & communicatio deliberata, & promotio eme- „ rita, & subjectio religiosa, & apparitio devota, & pro- „ cessio modesta, & Ecclesia unita, & Dei omnia „. Sane in Ecclesia Catholica quemadmodum verissima omnia fidei dogmata, ita purissima moralia documenta esse, ac sanctam conversationem inveniri saltem in pluribus, probatum

abunde est, ac etiam digito monstratum a Nostris tum antiquis dum Apologetica scripta Ethnicis Principibus obtulere, vel ipsius Ecclesiæ suscepere patrocinium, tum recentioribus, qui de revelata Religione scripserunt. „ (*Tertulliani exhortatio*). Proinde „ (concludit pie, sapienterque memoratum Opus De Præscription. Tertullian. cap. 44. & 45.)
„ hæc pressioris apud nos testimonia disciplinæ, ad proba-
„ tionem veritatis accedunt: a qua divertere nemini expe-
„ dit, qui meminerit futuri judicii, quo omnes necesse est
„ apud Christi Tribunal adstare reddentes rationem, in
„ primis ipsius fidei. Quid ergo dicent qui illam stuprave-
„ rint adulterio hæretico virginem traditam a Christo &c.?
„ Sed nunc quidem generaliter actum est a nobis adversus
„ hæreses omnes, certis, & justis, & necessariis præscri-
„ ptionibus repellendas à conlatione Scripturarum . . . Hæc
„ in fide veritatis . . . legentibus pax, & gratia Domini
„ N. J. C. in æternum „.

APPENDIX TERTIA

APOLOGETICA PRO S. ECCLESIA CATHOLICA APOSTOLICA ROMANA

Ad Dissidentes Græcos, Protestantes, prætensos Reformatos, ceterosque Sectarios.

I. (*Admonitio*). Diximus in universum, atque etiam adductis exemplis probavimus *in præcedenti II. Appendice*, a præjudiciis oportere mentem, animumque avellere, & expurgare cor ab hujuscemodi sordibus, quæ ut plurimum ab infantia cum lacte male actæ educationis contrahuntur, ut, Divina aspirante gratia, fidei lux conspici, & veritas possit amplecti. Siquidem præoccupati animi vitia offundunt tenebras intellectui, & sunt veluti densæ nubes, quæ quominus Solis claritas videatur, impediunt. Quod infelicissime contigit Persecutoribus D. N. J. C., ac Judæ Iscariotæ (timentes, ac pavidi scribimus) qui, licet oculis suis aspexissent miraculum a Jesu Christum patratum, cum servi Principis Sacerdotum auriculam dexteram, ab uno ex Discipulis suis gladio amputatam, tangendo sanavit, nihilominus tantum abfuit, ut ab injuriis ei deferendis cessarent, quin potius milites comprehenderunt eum, duxeruntque ad domum Principis Sacerdotum, ut coram ipso injustissimum sustineret judicium (Viden. Evang. S. Lucæ 22. 50. seq.). Nunc autem ad nostri hujus Operis complementum strictim disserere oportet *in specie de quibusdam falsis, unaque in Ecclesiam Catholicam injuriosis opinionibus*, quibus imbuti sunt Græci, Græco-Rutheni, Lutherani, aliique Sectarii hujus temporis, quæ *nonnisi injusta præjudicia sunt Religioni infensissima*. Sane *de quibusdam* tantum loqui volumus, Divino implorato præsidio, quoniam „ de nonnullis jam egi„ mus in Præfatione hujusmet Opusculi „ De Primatu „, & „ in duabus hic supra adjectis Appendicibus „; de aliis autem, quia levioris momenti, superfluum fortasse sit inquirere, aut certe non necessarium.

II. (*Photii, & Cærularii damnanda agendi ratio*). De

Græcis, Græcisque Ruthenis primum ut disseramus, notum est omnibus, Photium, posteaque Michaelem Cerularium de plurimis objurgasse Rom. Eccl., & Latinos ac amaris conviciis, atque etiam calumniis eos incessisse; ille Encyclicis Epistolis datis ad Patriarchas, & Episcopos Orientis; Iste vero litteris suo, & Leonis Acridani nomine *ad Joannem Tranensem in Apulia Episcopum* scriptis, aliisque missis *ad Petrum Antiochenum Patriarcham*. Quam irrationabilia sint, injustissima, & in nonnullis etiam falsa ea, quæ Photius, ac Cerularius objecerunt Latinis; quamque reprobanda harum criminationum caussa discessio, ac separatio ab Romana, Latinaque (h. e. Catholica) Ecclesia cognoscet unusquisque rerum religiosus, ac verus æstimator, si æquo animo, serenaque mente legat, quæ ambo illi, spiritu ambitionis, & superbiæ afflati, Actorum induta veste, sed accusantes sine idoneis probationibus, attulerunt in medium.

III. (*Accusationum capita in Latinos a Photii virulento stomacho rejecta*). Siquidem hæc sunt Photianarum querelarum adversus Latinos capita: „ 1. Quod contra Ecclesiæ Canones illicite Sabbatis jejunent: 2. Quod primam jejunii Quadragesimalis Septimanam a reliquo jejunio discerpentes in lactis potionem, casei esum, & similium ingurgitationem traxerint, seu (ut habet S. Nicolaus I. Epist. 70. ad Hincmarum &c. dal. Kal. Novemb. Indict. I. incip. „ Omnium Nos portare „ apud Labb. Tom. IX.) „ quod octo „ hebdomadibus antePascha a carnium, & septem hebdoma- „ dibus a casei, & ovorum esu more suo non cessamus „. 3. Quod Sacerdotes legitimo conjunctos Matrimonio ab Uxoribus abstraxerint, eisque continentiæ jugum imposuerint: 4. Quod Chrismate junctos per Sacerdotes, denuo jungere non dubitaverint; cum se Episcopos prædicarent, & Presbyterorum Chrisma inutile quiddam, ac frustra factum comminiscerentur: 5. Quod sanctum, & sacrum Symbolum, quod ab omnibus Œcumenicorum Conciliorum calculis confirmatur, & vim obtinet irresistibilem, sensibus spuriis, verbis adscititiis conati sunt adulterare, Spiritum Sanctum novo more commenti non de solo Patre, sed etiam de Filio procedere „. Hæc tantum Capita habent Encyclicæ Photii litteræ; ceterum & alia ipsum, ejusque partiarios Schismati-

cos & hæreticos contra Romanam Ecclesiam effutiisse, ac scripturiisse docet Summus Pontifex S. Nicolaus I. memorata Epistola, nempe: 6. Quod Romana, & universa Latina Ecclesia Chrisma ex aqua fluminis conficiat: 7. Quod Agnum in Paschate more Judæorum super Altare pariter cum Dominico Corpore benedicant, & offerant: 8. Quod Diaconus non suscepto Presbyteratus Officio apud Latinos Episcopus ordinetur „ Demum S. Nicolaus inquit: „ 9. Quin & reprehendere satagunt, quia penes nos „ Clerici barbas suas radere non abnuant „.

IV. (*Alia amaro animo a Cerulario contra nos prolata*). Adhæsit pene in omnibus Photio Cerularius, eodemque acri stylo, & virulento zelo Latinam Ecclesiam impetivit; nam in supra memoratis Epistolis easdem refricavit querelas quoad barbam; jejunium in Sabbatis; Processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio, & additionem in Symbolo particulæ-Filioque-; nec non & quoad Jejunium ante-Paschale. Verum alias ipse addidit, scilicet „ 10. Quod Latini Azyma consecrantes cum Judæis communicent, nec aptam assumant Eucharistiæ conficiendæ materiam:„ 11. Quod suffocata comedant: „ 12. Quod immundorum Animalium carnibus vescantur: „ 13. Quod Monachi Latini carnes edant: „ 14. Quod in Sacra Liturgia hæc verba alta voce proferant: „ Unus Sanctus, unus Dominus J. C. in gloria Dei Patris per Spiritum Sanctum: „ 15. Quod apud Latinos duo fratres duas sorores ducant: „ 16. Quod in Missa tempore Communionis Ministrorum alter alterum osculetur: „ 17. Quod Latini Episcopi Annulis ornentur ceu Ecclesiæ Sponsi: „ 18. Quod Latini Episcopi ad Bellum proficiscantur, & manus suas humano sanguine contaminent: „ 19. Quod mersionem unicam in Baptismo usurpent: „ 20. Quod salem in os baptizatorum immittant: „ 21. Quod nec Sanctorum Reliquias, nec sacras Imagines venerentur: „ 22. Quod *Alleluja* Quadragesimali tempore non canant „.

V. (*Ratio præsentis Orationis nostræ cum Dissidentibus Græcis, atque Ruthenis*). Equidem propositi nostri non est singula *ex professo* diluere Græcorum objecta, quoniam brevitatem, ceu insigne laboris nostri, nobis præstituimus; idque præstitere doctissimi Viri tum vetustioris, tum recen-

tioris ætatum, qui objectis iisdem sapienter, ac congrue responderunt: eo vel maxime, quod si sermo sit de Capitibus, quæ fidem Catholicam tangunt, jamdiu Doctores nostri, qni de Controversiis scripsere, Latinam Ecclesiam ab impetitis vindicaverunt validissime, Grecorumque refutarunt errores;si vero de aliis disciplinam spectantibus,norunt & Græci, disciplinam Ecclesiasticam pro rerum, temporum, morum conditionibus, ac circumstantiis esse variabilem, invariata manente in omnibus fide, & sancta unitate; si demum de ceteris, quæ aut falsa sunt, aut levissima, non est in respondendo insudandum. Quare nullam habuisse, aut habere Græcos causam rationabilem cur a nobis dissideant, ipsimet a se ipsis decernere poterunt, dummòdo bona voluntate considerent, & recipiant, Deo ipsos confortante, & adjuvante, ea, quæ S. Catholica Latina Ecclesia, atque ex ejus magisterio, & doctrina etiam Græci Catholici ipsos docent, proferuntque in defensionem dogmatum sacrorum, eorum præsertim, quæ Sancta Œcumenica Florentina Synodus definivit.

VI. (*Cordatiores inter Græcos cognoverunt, & fassi sunt, rectas esse doctrinam fidei, & consuetudines Latinorum*). Et sane qui apud Græcos cordatiores extiterunt sincere fassi sunt, Latinorum sententias Theologicas, atque consuetudines, quæ prætextns erant dissensionis Græcorum cum ipsis, hæreseos insimulari non posse. Sed & Photius ipse vir multæ eruditionis, probe callens, quæ essent Latinorum fides quod ea, in quibus Græci dissentiunt, quæ instituta, quæque veteres observantiæ; quid credendum, aut vero censendum de Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio, de additione Symbolo particulæ-Filioque-; deque aliis in suamet Encyclica Epistola contentis, litem non movit ullam, neque accusavit Latinos prius, quam se a S.Nicoiao I. Pontifice Romano damnatum accepisset. Hinc est, quod sub Leone dicto *Sapiente* Imperatore, detruso e Sede Constantinopolitana Photio, pax Orientalem inter, & Occidentalem Ecclesiam fuerit redintegrata absque ulla vel minima circa res Theologicas, ac Latinorum consuetudines disceptatione. Quin Petrus Patriarcha Antiochenus in Litteris ad Michaelem Cerularium improbat quidem (re

tamen aut non bene cognita, aut non mature, & juste considerata) particulæ-Filioque-addimentum Symbolo factum, at non ut hæreticum, nec propter quod continuo scindenda esset Ecclesia. Extat etiam inter Sanctiones Juris Græco-Romani Epistola Basilii Acridani Archiepiscopi ad Hadrianum II. PP., in qua scribit *parvi momenti offendicula esse*, propter quæ scissio Ecclesiarum acciderit: (*Græcorum schisma opus fuit Novatorum Photii, & Cerularii*). Quæ scissio, inconsutilisque Jesu Christi vestis dilaceratio (ut manifestum est, & sine evidenti mendacio negari nequit) Græcorum fuit opus, Novatorum nempe Photii, ac Cerularii. Hæc, aliaque id genus legi possunt in Jure Orientali, seu Græco-Romano, quod ex variis Imperatorum, Patriarcharum, & Præsulum Decretis conditum est, typisque semel, atque iterum excusum fuit ab Edmundo Benefidio primum, postea a Marquardo Frehero ex recensione Joannis Leunclavii.

VII. (*Dissidentes Græci ii fuere, qui Catholicam fidem deserentes schismatis tubam insonuere; eaque de causa Latini ab illis se subtraxerunt*). Ex quibus omnibus duo sequuntur non parvi momenti: Primum nempe, Dissidentes Græcos intonuisse tubam separationis a Latinis, h. e. a Catholica Ecclesia, vexillumque schismatis erexisse, nec Latinos a communione Græcorum sese subtraxisse nisi cum ipsi Dissidentes recessissent a fide Catholica, & obstinato animo contumaces in erroribus perstitissent, quamvis a Leone IX. paternis adhortationibus, ac laboribus ad sana consilia vocati. Nam Photius, Ceruláriusque ii fuerunt, qui antiqua dogmata, quæ Ecclesia etiam Græca Latinæ adhærens jugiter crediderat, negare ausi sunt: ac observantias nostras, quas nemo prius reprehenderat, ipsi Latinorum vitio vertere non erubuerunt. Probatione non indigent asserta isthæc nostra, quum satis facunde loquantur supramemoratæ Epistolæ Encyclicæ Photii, ac Cerularii; pateant etiam studia, ac labores S.Leonis IX. ad suadendum Schismaticis pacem, atque concordiam, tum ex Litteris Ipsius S.Pontificis inferius memorandis, tum ex solemni Legatione Humberti Cardinalis Sylvæ Candidæ Episcopi, Friderici Cardinalis, & S.R.E. Cancellarii, & Petri Amalphitani Archie-

piscopi ad Constantinum Monomachum Augustum, & ad Michaelem Cerularium pro Ecclesiastica pace concilianda. Qua de re quis non videat, commentum esse contrarium certissimæ veritati, historiisque rerum gestarum id, quod nonnulli ex Græcis Dissidentibus quandoque dixerunt, Latinos a Græcis sese primos subtraxisse eo ipso, quo Symbolo addiderunt particulam „ Filioque „. Nam particula hæc (sicuti plenissime a nobis ostensum est in Opusculo „ De Processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio „) pluribus sæculis ante Photium publice in Concilio Toletano III. ann. 579. Canone III. Symbolo insita fuit; & in Conciliis sequentis sæculi additio propagata, silentibus Græcis, neque ob eam rem communionem Latinorum refugientibus, imo perseverantibus in primæva sancta Unitate; Hinc nullo negocio intelligitur, Græcos ipsos cognovisse, licite, ac rationabiliter urgenti necessitati providisse Latinos facta Additione; quod pariter in eodem Opere firmissime nos etiam demonstravimus *singulari Capite viden. per totum*. (*Iidem Græci unice ob amaritudinem animi Ecclesiæ Latinæ terga verterunt*) Alterum vero, quod ex præmissis sequitur illud est, Dissidentes Græcos in Latinos conviciis, & objurgationibus insurrexisse, ac eorum communionem deseruisse non ex intima animi persuasione, quod Latini in fide, & moribus suis erraverint, & Majorum traditione pessundata sanam doctrinam, virtutesque Evangelicas prostituerint, bene vero ex spiritus amaritudine, quam in nos (nescimus caussam) conceptam, exterius etiam voluerunt omnibus declaratam. Num hæc sufficiens, prudens, pia ratio est, ob quam nunc etiam in separatione perseverent, Unitatemque fidei, ac communionis nobiscum aversentur?

VIII. (*Odium, & invidia causæ persecutionis Photianæ contra Summum Pontificem, Ecclesiamque Latinam*). Hæc equidem sufficerent ad penitus eradendum a mentibus Dissidentium Græcorum antiquas male conceptas, & ebibitas opiniones in Latinos injuriosas, aut calumniosas etiam, quas *præjudicia* communi vocabulo appellamus. Sed operæ pretium est ad singula querelarum capita summatim quædam dicere, ut veluti manibus tangant isti quam vere Ecclesiam Latinam, seu Catholicam defendendam susceperimus. Lu-

culentissimam, ac zelo Domus Dei refertam dedit Epistolam S. Nicolaus I. PP. ad Hincmarum, quam paullo ante laudavimus, & in ea reserat caussas, ob quas Ipsi Pontifici Summo, imo universæ Occiduæ parti a Græcorum Imperatoribus, Michaele scilicet, & Basilio, & ab his, qui sibi parebant, quorum princeps Photius, multa nequiter ingesta fuere: „ Hi enim odio, & invidia (ait) contra Nos in„ flammati . . . . Nobis quasi crimina hæseseos impinge„ re moliuntur. Odio quidem, quia Photii adulteri, & in„ vasoris Ecclesiæ Constantinopolitanæ, atque neophiti, „ & depositi, & anathematizati factam promotionem non „ solum non approbavimus, sed & damnavimus; Fratris „ scilicet, & Comministri Nostri Ignatii ejusdem Eccle„ siæ Patriarchæ dejectionem, utpote a subjectis, & ab „ Imperiali potentia factam nullo suscipientes assensu. In„ vidia vero, quia Regem Bulgarum, Michaelem nomine, „ cum gente sua, Christi fide suscepta, a Sede B. Petri In„ stitutores, & doctrinam expetivisse audierunt. Volentes „ quippe, nimiumque anhelantes eosdem Bulgaros a B.Pe„ tri subjectione subducere, suoque Imperio prætextus „ Christianæ Religionis callide subjugare, talia de S. Ro„ mana Ecclesia, non habente maculam, aut rugam, aut „ aliquid hujusmodi, prædicant, quatenus illi, utpote „ adhuc in fide rudes, hæc audientes, Nos, quasi noxios, „ & diversarum hæreseon squalloribus respersos, vitent, „ declinent, atque penitus deserant „. Non itaque amor veritatis, nec zelus fidei, neve persuasio intima cordis in Romanam, totamque Latinam Ecclesiam rumorem in Oriente excitarunt (quamvis nusquam adversus S. Ecclesiæ Supremum Caput, & totam Occiduam Ecclesiam liceat insurgere), sed odium, & invidia. En venenati fontes, a quibus serpentina venena hausta fuere. Tum deinde Pontifex meminit Epistolæ Imperatorum Orientis ad Regem Bulgarorum, quam dictantes blasphemiis tinxere calamum, & luto erroris usi pro atramento fuere: ac paulo post exponens, quam damnabili ausu convicia, & objecta hujuscemodi Græci Dissidentes protulerint, Galliarum Episcopos excitat S. Nicolaus his verbis „ In his igitur, explosis ceteris curis, „ vos Fratres, summopere convenit desudare; & quia com-

„ munia sunt hæc opprobria, quæ Universali Ecclesiæ in ea „ dumtaxat parte, quæ Latina uti dignoscitur lingua, sicu„ti prætulimus, ingeruntur, communiter omnes, qui Di„vino Sacerdotio illustrari videmini, decertare debetis, quo „ paternæ traditiones tantæ derogationi non pateant; sed „ quæ pravi quique consueta contentione tam mentientes, „ quam errantes maculare gestiunt, manu communis de„fensionis ab omni nævo blasphemiæ funditus eruantur. „ Ridiculum est enim, & satis abominabile dedecus, ut „ temporibus nostris vel falso insimulari Sanctam Dei Eccle„siam permittamus, vel eas traditiones, quas antiquitus „ a Patribus nostris suscepimus, pro libitu semper erran„tium . . . . infringi patiamur. Quapropter necesse est, „ ut eorum conatibus, resistamus, & falsis illorum jaculis „ veritatis clypeum opponamus . . . . Quanto autem livo„re, quantaque vecordia jam designati Græcorum Prin„cipes, eorumque Satellites adversus Nos pro eo, quod „ suis noluimus parere illicitis animositatibus, armati „ sint, in eo manifeste datur intelligi, quod aut falsa „ sunt, quæ Nobis impingere moliuntur, aut certe jam a „ prisco tempore sine cujusquam contradictione in Ecclesia „ Romana, imo in tota Occidentali parte hactenus custo„dita: & cum floruerint etiam apud ipsos magni Doctores „ Ecclesiæ, nullus tamen eorum de his reprehensionem „ fecit, nisi hi, qui non zelo justitiæ, fervidi, sed zelo „ invidiæ perculsi Ecclesiæ lacerare traditiones anhelant „.

1. (*Ad honorandam Christi Domini Sepulturam in Ecclesia Romana Sabbati jejunium piissime servabatur, non autem spiritu Manichæo; & multo ante ortum hæresis Manichæorum*). Equidem absit suspicari, Latinos jejunium Sabbati vel induxisse, vel coluisse ad probandum Manichæorum errores, vel ut istorum sectarentur vestigia, quum ad honorandam Jesu Christi sepulturam ea die jejunarent, non autem superstitionis, vel hæresis alicujus persuasione, seu etiam applausu. Hoc ex eo etiam patet, quod ab Apostolorum ætate in Romana Ecclesia fuisse in usu jejunium Sabbati suadet S. Innocentii I. PP. Epistola ad Decentium Eugub. cap. IV. scripta anno 416., in qua ait „ Sexta Feria propter „ Passionem Domini jejunamus; Sabbatum prætermittere

„ non debemus, qui (dies) inter tristitiam, & lætitiam „ temporis illius videretur inclusus. Nam utique constat „ Apostolos biduo isto, & in mœrore fuisse, & propter „ metum Judæorum se occuluisse. Quod utique non du- „ bium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut „ traditio Ecclesiæ habeat isto biduo Sacramenta penitus „ non celebrari „. Cum quo concinit S.Augustinus Epi.36. als. 86. data ann. Christi 367. Viden. etiam S. Hieronymi Epist.28. ad Lucinium Bætic. Hinc sequitur, a sæculis antequam ex Inferni latebris Manichæorum detestabilis secta proruperit ab Ecclesia Romana Sabbaticum illud servatum fuisse jejunium. Sane Ecclesia Latina, Catholica nempe, nusquam Vos, o Græci, lacessivit ob frequentiora, & asperiora vestra jejunia, ac si Montanistarum teneretis consuetudines, & hæreses, neque etiam vos reprehendit umquam ac si Sabbato non jejunantes communicetis festivitati Judæorum, qui perfidi ea die non modo non jejunant, sed laute potius, & opipare epulantur, solemnique cultu festivum habent. Quare ergo vos in nos acriter insurgitis? Nec Carolus Magnus Romanos arguebat de jejunio Sabbati; imo laudabat inquiens: (Capitul. lib.6. c.184.) „ Sed & Sabbati „ dies a plerisque propter quod in eo Christus jacuit in Se- „ pulcro, jejunio consecratus habetur „ Æquius certe, & juxta regulas sanctæ Charitatis S. Ambrosius judicabat, dabatque responsa. Cum enim S. Monica S. Augustini Mater Mediolanensem Ecclesiam Sabbato non jejunantem inveniens, quid sibi agendum esset dubitaret, interrogatus ab Augustino adhuc Catechumeno Ambrosius respondit: „ Cum Romam venio jejunio Sabbato: cum hic sum non „ jejuno. Sic etiam tu, ad quam forte Ecclesiam veneris „ ejus morem serva, si cuipiam non vis esse scandalo, „ nec quemquam tibi „ (S.August. Epist.36. als. 86. ad Casulan., & 54. als. 118. ad Janu. cap.2.). Ita doctissimus, & Spiritu Dei plenus Ambrosius sacram Unitatem, quamvis diversæ penes fideles, Ecclesia Catholica probante, aut permittente, inveniantur observantiæ circa jejunia, servandam esse docuit, nec quemquam mordendum, si moribus nostris in iis concors non sit; Eamdemque pacificam sententiam, moribusque Ecclesiæ accomodatam tenuit

S. Hieronymus, qui in laudata Epist. 28. ad Lucinium Bæticum de jejunio Sabbati, & de quotidiana sacratissima Communione agens inquit. „ Ego illud te breviter admo- „ nendum puto, Traditiones Ecclesiasticas, præsertim „ quæ fidei non officiant, ita observandas, ut a Majoribus „ sunt: nec aliorum consuetudinem aliorum contrario mo- „ re subverti „. Atque hic repeti possunt verba Apostoli ad Rom. 14. 3. 6. „ Is qui manducat non manducantem non „ spernat; & qui non manducat manducantem non judi- „ cet: Deus enim illum assumpsit . . . . Et qui manducat „ Domino manducat, gratias enim agit Deo. Et qui non „ manducat Domino non manducat, & gratias agit Deo „; dummodo tamen aliquod non urgeat Catholicæ Ecclesiæ præceptum, seu vetitum. Sane rationes, ob quas alii Populi ad S. Christi Ovile pertinentes Sabbato jejunabant, alii vero non, docte tradit S. August. d. Epist. 36. als. 86. ad Casulan. „ Sequitur Sabbatum (ait) quo die caro Christi „ in monumento requievit, sicut in primis operibus Mun- „ di requievit Deus die illo ab omnibus operibus suis. „ Hinc exorta est ista in Reginæ illius veste varietas, ut „ alii, sicut maxime Populi Orientis, propter requiem si- „ gnificandam mallent relaxare jejunium; alii propter hu- „ militatem mortis Domini jejunare, sicut Romana, & „ nonnullæ Occidentis Ecclesiæ. Quod quidem uno die, „ quo Pascha celebratur propter renovandam rei gestæ me- „ moriam, qua Discipuli humanitus mortem Domini do- „ luerunt, sic ab omnibus jejunatur, ut etiam illi Sabba- „ ti jejunium devotissime celebrent, qui ceteris per totum „ annum Sabbatis prandent, utrumque videlicet signifi- „ cantes & in uno Anniversario die luctum Discipulorum, „ & ceteris Sabbatis quietis bonum „.

2. (*Modus jejunii ante-paschalis in Latina Ecclesia servatus Apostolicæ traditionis est; ideoque sanctissimus*). Hæc valent etiam, satisque sunt ad dissipandam caliginem, qua Photius obtegere Latinos nisus est ex eo, quod jejunium Quadragesimale non observent iisdem tempore, ac modo quibus abstinent Græci. Apostolica institutio quadraginta dierum jejunii ante S. Pascha apud nos impletur. „ In quibus merito a SS. Apostolis per doctri-

„ nam Spiritus Sancti majora sunt ordinata jejunia , ut per „ commune consortium Crucis Christi etiam nos aliquid in „ eo , quod propter nos gessit ageremus , sicut Apostolus „ ait „ Si compatimur , & conglorificabimur „ (S. Leo de Quadrag. Serm. IX. Cap. I. Viden. ejusdem S. Pontificis Serm.III. c.2., V. c. 3., VI. cap. 2. VII. c. 1. VIII. c. 4. ; X. c. 1. ; XII. c. 1. edit. Baller.) . Cujus doctrinæ consona sunt , quæ Populo prædicabat S. Petrus Chrysologus S.Leonis coævus (Serm.166. de Quadrages. jejun.) „ Si ergo qua„ draginta dierum simplex , purum , æquale , tantis testi„ moniis , sub tanti numero sacramenti traditum nobis a „ Domino jejunium perdocetur &c.„ . Enimvero sex hebdomadibus in Quadragesima jejunia servamus , quod temporis spatium , exceptis Dominicis , in quibus jejunia relaxantur , cum triginta sex dierum curriculo compleatur , ideo ad quadragenarium numerum implendum , quatuor (a die nempe Cinerum ad primam usque Quadragesimæ Dominicam) dies sex hebdomadibus adjungimus. Quid nam in hæc jejunii servandi ratione mali , aut imperfecti inveniatur , profecto non apparet : Et mirum valde est , quod Greci Latinos tantum sugillent quoad sex , ut prædiximus , hebdomadarum ante paschale jejunium , non æque autem exagitent eos , de quibus Socrates Hist. lib.5. cap. 22. scribit . „ Qui autem in Illyrico , & per universam Græciam , „ & qui Alexandriæ degunt sex ante Pascha septimanas je„ junant „ itemque : „ Primum igitur jejunia illa , quæ an„ te Pascha fiunt , aliter apud alios observari reperies „ . Quadrat hoc loco prudentissima S. P. Augustini aurea regula illi plane consona quam paullo ante retulimus tradidisse S. Ambrosium pro conscientiæ serenitate S. Monicæ , ob oculos tenenda dum agitur tum de jejuniis , tum de aliis diversarum Ecclesiarum observantiis , ritibus , consuetudinibus , quæ fidei Catholicæ , aut bonis moribus non adversantur ; ac de illis maxime , ob quas (ut infra videbimus) opprobriis , atque conviciis Latinam Ecclesiam Græci Dissidentes insectantur . (*Variæ in Catholica Ecclesia observantiæ , ea non prohibente , reprehendi nequeunt*) . Ille enim Epist. memorata 54. als. 118. ad Janu. inquit : „ Alia vero , „ quæ per loca terrarum , regionesque variantur , sicut est

„ quod alii jejunant Sabbato, alii vero non„ (idem dicas de numero dierum, & modo quadragesimalis jejunii): „ alii quotidie communicant Corpori, & Sanguini Domini; „ alii certis diebus accipiunt: alibi nullns dies prætermittitur quo non offeratur, alibi Sabbato tantum, & Dominico, alibi tantum Dominico, & si quid aliud hujusmodi animadverti potest; totum hoc genus rerum liberas „ habet observationes, nec disciplina ulla est in his melior „ gravi, prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, „ quo agere viderit Ecelesiam, ad quamcumque forte devenerit„; nisi tamen Catholica aliter jubeat prohibeatve Ecclesia. En quam longe aberant SS. PP. Ambrosius, Augustinus, Hieronymus (paulo ante allatus) a rixa, latratu, & schismate.

3. (*Lex continentiæ Majoribus Clericis, Presbyterisque Latinis ab Ecclesia imposita, justissima est, eademque sanctissima*). De continentiæ lege ab Ecclesia Sancta Catholica Latinis Clericis in Majoribus Ordinibus constitutis, & Sacerdotibus imposita; non est hic locus prolixius disputandi. Sanctitatem, æquitatemque legis hujus invicte Theologi nostri vindicarunt ab injustis (dicendum potius iniqnis, sacrilegisque) aggressionibus nedum Græcorum Dissidentium, sed etiam Hæreticotum Occidentis, præsertim recentiorum. Sufficiat nobis animadvertere (quod brevitati, quam nobis præstituimus conforme est, ad eamque servandam necessarium): Quod Jesus C. D. N. Virgo natus, Virgo in terris usque ad ultimum spiritum conversatus est, Virginitatem purissimam tam sancta, & intemerata conversatione custodiens, ut nec persecutores ipsius, nec Scribæ, nec Pharisæi, nec quicumque luciferiano felle imbutus esset contra Divinam, quam prædicabat, doctrinam, quamvis in ipsum probra multa, calumniasque jacerent, quas didicerant a patre diabolo, qui superbus, veritatis inimicus, & mendax est a principio, nusquam tamen adversus modestiam, continentiam, castitatem, virginitatemque Ejus, qui Æterni Patris Filius est secundum Deum, Beatissimæque semper Virginis Mariæ secundum humanitatem Divinitati hypostatice conjunctam, vel mutire ausi sunt: Quod Ecclesia Catholica ad legem hanc nullum cogat nisi eum,

qui volens, & prudens delegerit ad Majores Ordines ascendere; *prudens* etiam inquam, cum adeo caute Ecclesia in hoc negocio se gerat, ut priusquam ad Subdiaconatus Ordinem quemquam admittat, serio Ordinandum, gravibusque verbis moneat de obligatione posthac castitatem servandi: Quod piissimis de caussis id jubeat Latinis Ministris suis Ecclesia, ut scilicet Angelica puritatis induti veste ad AltareDomini accedant, Beatissimi PetriApostoli instituta tenens quum abApostolica ætate quoadEpiscopos, Presbyteros, Diaconos cælibatus in Latina Ecclesia religiosissime fuerit custoditus; & quoad Hypodiaconos in Romana, ac quibusdam aliis Ecclesiis a S. Leonis M. ævo servaretur, ut ex hujus S. Pontificis Epist. ad Anastasium Tessalonicen. Episcopum liquet (Epist.XIV. Num.IV. Ord. Nov. Tom.I. Opp. Edit. Baller.): Quod antiquissimis temporibus ad augendam Clericalis militiæ sanctitatem utraque Ecclesia Occidentalis, & Orientalis æque voluerit, nedum Presbyteros, sed etiam Diaconos in perpetuo cælibatu versari debere, quemadmodum ex vetustissimis SS. Patrum Græcorum pariter, ac Latinorum traditione notum est; & nonnisi tractu temporis in Ecclesia Orientali secus contigerit: Quod Catholica Ecclesia cupiens omnes in visceribus Jesu Christi, Græcos, aliorumque Rituum Orientales eo quod penes ipsos lex continentiæ quoad Presbyteros, & Majores Clericos stricte adeo, & in universum, prout penes Latinos, non servetur haud censuit damnandos, nisi specialiter pro una, vel altera Natione eadem lex lata reperiatur; imo Catholicum Orientalem Clerum omnem, cujuscumque sit probati Ritus, amantissime complectitur, & sanctæ Communionis signaculo lætificat. Pudeat igitur Græcos Dissidentes, aliosque hæreticos, pudeat christianum hominem quicumque sit, venerandam Catholicam Ecclesiam, Columbam Dei, formosam Dei, dilectam a Deo non habentem maculam, neque rugam probris insectari, ac de duritie, seu etiam impietate arguere, dum iis Latinis Ritus, qui Sacrorum Clericorum, ac Sacerdotum numero volentes, & docti adscribi petunt, jubet, ut sint innupti, & puritate, continentia, modestia sequantur immaculatum Agnum Jesum Christum quocunque ierit.

4. (*Latini eos, qui confirmati fuerint a Sacerdotibus Græcis tunc denuo inungunt, ABSOLUTE si constet inaniter fuisse confirmatos; SUB CONDITIONE autem si de hoc prudens dubium occurrat*). Addit Photius adversus Latinos, quodChrismate inunctos per Sacerdotes denuo inungere non dubitaverint cum se Episcopos prædicarent, & Presbyterorum Chrisma inutile quiddam, ac frustra factum comminiscerentur. Principio autem animadvertere opus est, Episcopos Ordinarios esse Sacramenti Confirmationis Ministros, non autem quemvis simplicem Sacerdotem, quod dogma a Sac. Concilio Tridentino definitum fuit sess.7. can.3., & ex Sacris Paginis, Sanctorumque utriusque Ecclesiæ Patrum traditione Catholici Doctores evincunt, quos Græci æquo, ac pio animo consulant oportet, quamvis & ipsi in hoc dogmate nobiscum conveniant; Deinde veritas itidem fidei est, quod Episcopi dignitate, ac potestate sunt Presbyteris superiores; ideoque inter damnata Aerii asserta S. Epiphanius hæres.78. hoc recenset, quod nullum Episcopum inter, & Sacerdotem discrimen agnoverit; quem Aerium, aliosque quamplures, qui illum in hoc secuti sunt, pro hæreticis habuit, habetque Catholica Ecclesia. Quibus positis, Græci Photii sectatores videant, ne arguendo Latinos in hæresum lacum sese præcipites agant cum Photio, cujus recensitum objectum adversus Latinos duo asserere, aut supponere videtur; quod nempe simplex Sacerdos Ordinarius sit Minister Sacræ Confirmationis; quodque Episcopalis sublimitas aliud non sit, quam nominis a gradu Sacerdotali differentia, ait enim Photius, *Latinos Episcopos se Episcopos prædicare*. Ast de validitate Confirmationis Sacramenti a simplici Presbytero Græco administrati solemne, atque authenticnm legitur a sa. me. Benedict.XIV. latum responsum, quod adeo reverenter est accipiendum ac si nomine Latinæ Ecclesiæ datum sit; est enim Supremi Ecclesiæ Catholicæ Verticis Romani Pontificis. Etenim Constit. „ Eo quamvis tempore „ die 4. Maii 1745. §. 4. ait „ Quemadmodum . . . . Græcis Incolis Italiæ expresse vetita „ est ad admiratio utriusque Sacramenti (Baptismi, & Confirmationis) ab eodem Ministro contemporanee facienda; „ Ita patientia quadam, & facilitate Sedis Apostolicæ fa-

„ ctum est, ut unum, & alterum Sacramentum ab eodem „ Sacerdote in Oriente Græcis conferrentur; Nec defuere „ idcirco Theologi, qui hujusmodi tollerantiæ vestem, „ & imaginem tacitæ dispensationis obducerent „. Verumtamen idem Pontifex (De Synod. Diœces. l.7. c.9. n.4.) optime animadvertit. „ Quoniam omnis præsumptio cedit „ veritati, eadem Confirmatio est irrita reputanda in locis, „ in quibus certo novimus, talem facultatem Græcis, alteriusve Orientalis ritus Sacerdotibus esse ab Apostolica Sede expresse ademptam „; Quadere Latini Græcos, ceterosque Orientalium rituum fideles a simplici Sacerdote inunctos, tunc iterum inungendos censent; *absolute* quidem, cum liquido constet, inaniter fuisse eis conlatum hoc Sacramentum; *sub conditione* autem cum de valore conlationis prudens est dubium.

5. (*Processionis Spiritus Sancti a Patre, et Filio dogma asseruimus in altero singulari Op. nostro*). De Processione Spiritus Sancti a Patre, Filioque egimus *in singulari altero nostro Opusculo*, in quo ex professo asseruimus fidei dogma Processionis Divini Paracleti a Patre, & Filio; vindicavimusque ab injustis objectis Latinam, scilicet Catholicam, Ecclesiam, quæ particulam *Filioque* Symbolo addidit. *Viden. etiam supra hujus Appendicis* §. *VII.*

6. (*Quod Rom. Ecclesia Chrisma ex aqua fluminis conficiat calumnia est*). Quod Romana, & Universalis Latina Ecclesia Chrisma ex aqua fluminis conficiat putum mendacium est. Adeo manifeste constat omnibus, qui in Ecclesia adsunt dum Episcopi Catholici sacrum Chrisma Feria V. Majoris Hebdomadæ conficiunt, nec unam aquæ fluminis guttam Oleo, ac balsamo ab eis immisceri, ut testimoniis universarum, quæ in Mundo sunt, gentium, possemus, si necesse fuerit, Græcorum Dissidentium calumniam repulsare.

7. (*Mendacium itidem, quod Latini in Paschate agnum super Altare una cum Domini Corpore benedicant*). Dixit insuper Photius, Agnum in Paschate more Judæorum super Altare pariter cum Dominico corpore Latinos benedicere, & offerre. Potuit-ne acrior, simulque ineptior calumnia in nos proferri? *Ineptior* etiam dicimus, quoniam, ut jam

animadvertimus, publice Latini agunt Divina Mysteria coram adstantibus cujuscumque ritus, Sectæ, atque Nationis, qui si velint vera nuntiare, ipsos de hoc injustissime impacto crimine apud omnes facile purgabunt. Quo perduxisti, Photi, illas scrutationes tuas (S.Augustini verba assumimus valde ad rem nostram in Psal.63. v.7.), quas perscrutans defecisti? Vere defecisti scrutans scrutationes, consilia mala. Quid est quod dixisti infelix astutia, & ambitio? Tantumne deseris lucem consilii pietatis, & in profunda versutiæ demergeris, ut tale, ac tam sacrilegum proferas mendacium?

8. (*Et falsum pariter, quod apud nos Diaconi non suscepto Presbyteratu Episcopi ordinentur*). Ejusdem furfuris est a Photio prolatum objectum, quod Diaconus non suscepto Presbyteratus Officio apud Latinos Episcopus ordinetur. Nusquam enim datum est, quod Occidentales Diaconum ad Episcopatus culmen provexerint, omissa ad Sacerdotium ordinatione. In re tam cognita non vacat immorari.

9. (*Inepta est objurgatio in Latinos jacta, quod ipsi barbam radant*). Ulterius „ & reprehendere satagunt „ (ajebat S. Nicolaus I. Epist. ad Hincmar. superius memorata) „ quia penes Nos Clerici barbas suas radere non abnuant „. Sed quænam societas fidei, & S. Communionis cum barba? Numquid fides Divina, mores sancti, Evangelicarum virtutum professio, Catholica Unitas in barba consistunt? Num sine barba fidelis esse, aut salvari nemo poterit? Tædet loqui de inani hac re: Pudore afficiantur Photius, Cerularius, Sectatores eorum dum talia dicunt adversus Latinos, quoniam cor eorum non esse rectum coram Deo ipsimet hæc effutiendo ostendunt. Diversarum enim Nationum usus varii, institutiones diversæ, habitus, ritus non iidem penes omnes; qui nisi fidei puritati, bonisque moribus obsint, moram certe non afferunt justis, ut salventur. Alii pileolo utuntur, alii Pileo majori; quidam calceis muniunt pedes, quidam sandaliis, nonnulli etiam calceolis (Papucce) quemadmodum Græci, qui iis tantum calceati ad Altare etiam accedunt: Apud nos autem Clerici, ac Sacerdotes communius barbam radunt, ut a sacrosancta Actione Mysterii quam longissime propulsent periculum effusionis, aut

dispersionis, vel unius, quamvis minimæ, guttæ, pretiosissimi Sanguinis; Græci e diverso barbas nutriunt. Quid enim, si vos sugillaremus, o Græci, pro cultura barbæ? Cælum, terramque pro injuria clamoribus repleretis. Dum igitur nos quoad morem istum nil vobis objicimus, pacem, quæso, & vos nobiscum servate.

10. (*Evincitur, quod fidei dogma est, sive in azymo, sive in fermentato pane triticeo vere confici SSmæ Eucharistiæ Sacramentum: Sacerdotesque in altero conficere debere juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem*). Insurrexit in Occidentalis partis Catholicos Cerularius post Photium, & Græci Dissidentes insurgunt, accusantes, quod ipsi dum Azyma consecrant communicant cum Judæis, nec aptam assumunt Eucharistiæ conficiendæ materiam. Ut autem ostendamus paucis, quam injusta hæc fuerit, sitque etiam hodie querela, quamque culpabiliter Latinos Græci isti per contemptum *Azymitas* appellent, proferamus in medium quid teneat Latina, hoc est Catholica, Ecclesia: Nempe declarat, & credit „ in Azymo, sive fermentato pane triticeo „ Corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive „ Orientalis consuetudinem „. Verba sunt Sacros. Œcumenici Concilii Florentini (Concord. Eccl. Græcæ, & Latinæ incip. „ Lætentur Cæli „ in Bullar. Rom. Edit. Main. To. III. Par. III. Eug. IV. Constit. XXI. §.4.). Duo definitio ista comprehendit; *unum*, sive in Azymo, sive in fermentato pane triticeo vere confici sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, ideoque ad istud conficiendum triticeum panem tam Azymum, quam fermentatum aptam esse materiam; *secundum*, teneri Sacerdotem unumquemque juxta suæ Ecclesiæ consuetudinem in uno, vel altero consecrare, ac proinde nullum a Domino Jesu datum fuisse præceptum adhibendi in Sacrificio azymum potius, quam fermentatum, sive e contra, dummodo triticeus panis sit qui consecratur. Et certe, verus panis est panis triticeus, nihilque illi deest de essentia panis, calidus sit, an frigidus, fermentatus, aut azymus; hæc enim qualitates accidentales sunt, & extrinsecæ nihil pani addentes, eique dementes nihil. Aptis-

simam igitur materiam esse panem trititeum azymum iudicare debet unusquisque justus rerum æstimator, quamvis scientia non præditus, cum certissimum sit, omnem etiam rusticum hominem, dummodo habetatione mentis non laboset, ad interrogata esse responsurum, quod vere sit panis panis absque fermento. Confirmatur adhuc assertum nostrum, sive fidei dogma ab Ecclesia definitum hoc argumento: Ad Sacramentum Baptismi administrandum aqua requiritur, sed ad valorem sufficit, quod sit naturalis aqua nulla habita ratione, frigida, an calida adhibeatur, fluminis, aut fontis, quoniam accidentales, atque extrinsecæ isthæc differentiæ nec minimum quidem Sacramenti validitatem attingunt, nec essentiam materiæ immutant; quare igitur idem de consecratione in azymo, seu in fermentato non erit tenendum, cum utriusque materiæ, scilicet aquæ in Baptismate, panis in Eucharistia eadem sit ratio? Quibus positis, quoniam Græca Ecclesia piis, rationabilibusque ex caussis in fermentato sacrificat, hinc Catholica Ecclesia huius consuetudinis intuitu eam nusquam accusavit; neque iudicavit Unitatem cum Ea proscindendam esse; imo iussit, ut Græci ritus Sacerdotes Ecclesiæ suæ teneant observantiam. Pariter, si Dissidentes cum suo Cerulario æquo in nos animo essent, nec ipsi exagitarent nos quia in Azymo consecramus, eo magis, quod Theologi nedum ex nostris, verum & ex Græcis Sanctorum Evangeliorum Matthæi, Marci, & Lucæ prolatis verbis, unaque S. Joannis conciliata cum illis sententia; nec non validissimis ex Theologia petitis rationibus demonstrarunt, Christum Dominum in ultima Cœna quando transiturus erat ex hoc Mundo ad Patrem in azymo pane sacratissimam Eucharistiam instituisse, ac consecrasse. Quum neque in hac controversia in longum orationem nostram protendere velimus, ideo ad eorum Theologorum volumina Græcos remittimus. Verum liceat & aliud afferre ex sacris paginis petitum validissimum argumentum. Narrat S. Lucas (c.24. 13. seqq.) quod *ipsa die*, qua sanctæ Mulieres diluculo venerunt portantes Aromata ad monumentum, in quo positum fuerat post pretiosissimam J. C. mortem Corpus eius, nempe *una Sabbati*, seu *prima hebdomadæ die*, quæ Domi-

nica dies est, quæque una erat ex diebus Azymorum; *ipsa die*, inquam, duo ex discipulis ibant in Castellum nomine Emmaus. Junxit se istis in via Jesus, disseruitque de sua gloriosa Resurrectione; quum autem appropinquassent Castello, quo ibant, a discipulis invitatus, atque coactus intravit cum illis „ Et factum est dum recumberet cum eis, „ accepit panem, benedixit, ac fregit, & porrigebat illis: „ & aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum „ Hæc paulo post narrarunt Discipuli Apostolis, ceterisque „ & „ quomodo cognoverunt eum in fractionis panis „ Considerate verba, notate mysteria: Jesus „ accepit panem, „ benedixit, ac fregit, & porrigebat illis „; isti cognoverunt Jesum *in fractione panis* „; quæ verba S. Lucæ satis aperte significant, Jesum Christum consecrasse in Cœna Emmaus Divinam Eucharistiam, quod satis intelligunt omnes scientes Sacræ Scripturæ loquendi consuetudinem: Enimvero iisdem plane verbis utuntur Evangelistæ cum institutionis Sanctissimi Sacramenti in ultima Cœna Jerosolymitana narrant historiam; Matthæus 26. 26. „ Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem & benedi- „ xit, ac fregit, deditque discipulis suis „: Marcus 14.22. „ „ & manducantibus illis accepit Jesus panem, & benedi- „ cens fregit, & dedit eis „ Lucas 22. 19. „ & accepto pa- „ ne gratias egit, & fregit, & dedit eis „; Similiterque Gentium Apostolus 1. Corint. 11. 23. „ Dominus Jesus in „ qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens „ fregit „. Quod tradiderunt etiam S. August. (de consens. Evang. c.25.), aliique PP., tum ex uniformi loquendi modo, ut diximus, Sacrorum Librorum dum agunt de Eucharistia; tum & quia duo Discipuli in fractione Panis cognoverunt Christum, qui eo porrecto statim & innotuit ipsis, & disparuit, abscedens ab eis corpore, dum teneretur fide (S. August. Serm. 140. de temp.): Docet etiam S. Hieronymus (Vit. S. Paulæ Rom. cap.6. edit. Rosweid.), Christum Jesum tunc Domum Emmaus, quam Cleophæ Domum vocat, hoc facto in Ecclesiam dedicasse. Cum laudatis Lucæ verbis, dum refert, quod Discipuli Emmaus Apostolis, & iis, qui cum illis erant, narraverunt, *quæ gesta erant in via, & quomodo cognoverunt eum in fractione*

Panis, confer locum ex Actis Apostolorum „ Erant autem „ perseverantes (fideles) in doctrina Apostolorum, & „ communicatione fractionis Panis „ græce „ *in communione, & fractione illius* (h. e. per excellentiam) *panis*; nempe Eucharistici, ut Syrus vertit, & est communis Patrum expositio, quæ innititur adhuc verbis S. Pauli (1. Cor. 10. 16.) „ Panis, quem frangimus nonne participatio Corpo- „ ris Domini est ? „ In hoc loco ex Actibus Apostolorum petito *fractio panis* SSmæ Eucharistiæ comesturam significat; ergo & in memorato S. Lucæ textu de Cœna discipulorum Emmaus, *fractionem panis* pro communione Eucharistica explicare necesse est. Indubia itaque duo sunt; quod Christus Dominus in Domo Emmaus consecraverit panem; quodque panis ille Azymus esset cum id acciderit in una ex diebus Azymorum, in quibus licitum hand erat Hæbreis fermentatum in domibus habere, piaculum vero manducare (Exod. 12. 15.) Quapropter, si vos, o Græci, obfirmata mente negare velitis, Jesum Christum sacrosanctam in Azymis instituisse Eucharistiam, concedatis oportet, probasse Christum consecrationem in Azymis tunc cum in prædicta Cœna Discipulorum Emmaus Ipse Azymum Panem sacravit. Ad hæc; ad Vos ita revincendos, ut neque loquendi ulterius locus vobis supersit, demus momento temporis, controverti adhuc posse hinc inde, utrum Christus in Azymo, an in fermentato Sacramentum Eucharisticum instituerit: Ast, num Salvator Mundi actione sua, qua in postrema Cœna usus est pane triticeo, ad validitatem consecrationis determinavit aut fermentum, aut Azymum ? Numquid saltem præceptum dedit conficiendi aut in Azymo, aut in fermentato Sacra Mysteria sub interminatione nullitatis Consecrationis, aut etiam peccati ? Minime quidem; nec contrarium Cerularius, aut vos Dissidentes Græci probatis umquam, nec usquam probare poteritis: Etenim non omnia, quæ egit D. Jesus dum versaretur in terris, voluit esse præcepta; nam & ipse Virgo permansit, nec tamen de Virginitate præceptum dedit, imo Matrimonium probavit dum Nuptiis Canæ Galilææ adesse dignatus est; Ipse in Jordanis flumine voluit baptizari a Joanne, quin præceperit baptisma in flumine esse admini-

strandum, vel hujus Sacramenti valorem aquis, locisque fluminum addixerit inde non transferendum. Pari ratione asserendum est, quod, dum SSmum instituit Sacramentum, J. C. determinavit certe triticeum panem pro consecrationis materia, ut vos ipsi fatemini, sed de qualitate non essentiali azymi, seu fermentati nihil statuit, neque præcepit. Sane in Trullana Synodo, quæ Sæc. VII. desinente, ante Cærularii, imo & Photii tempora, coacta fuit, damnati equidem sunt Canone 32. Armenii, quod aquam cum Vino in sacro Calice non miscerent, tamen ob Azymorum in Sacrificio usum, qui apud ipsos erat, minime fuere reprehensi. Quod Trullana Synodus non fecit adversus Armenios, commisit Cerularius in Latinos, sequentibus hodie etiam vobis, Dissidentes Græci. Qui tamen minime animadvertitis, quod dum Latinam (h.e. Catholicam) Ecclesiam condemnatis ajentes, quod ineptam ad Consecrationem Eucharistiæ materiam assumat dialectices regulas aspernari pro nihilo ducitis; nempe supponitis quod est in quæstione, ideoque illud vitium committitis, quod dicitur *petitio principii*. Enim vero quæstio est nostra, utrum Christus Dominus instituens augustissimum Sacramentum in Azymo consecraverit, an in fermentato pane triticeo; in qua quæstione tum ex SS. Evangeliis, cum ex SS. Patribus, atque ex Theologicis firmis rationibus demonstrant nostrates, Jesum Christum Azymum tunc sumpsisse panem. Quare certa haud est institutio Eucharistiæ in fermentato, quin imo longe probabilior apparet assertio Latinorum de Azymis; his autem non attentis pro certo vos ponitis, consecrasse Christum in Cœna postrema panem fermentatum, quod nil aliud est, quam supponere quod est in quæstione, principiumque petere. Hac autem tam vitiosa arguendi ratione posita, Latinis objicitis, quod invalide consecrent, aut saltem contra præceptum Christi Jesu. Potest-ne manifestius apparere acrimoniæ vestræ in nos injustitia, & infirmitas? Praejacta autem a Vobis hujuscemodi petitione principii, magisterii cujusdam supercilio additis, non aptam esse materiam ad consecrandum azymum panem, aut ad minus, Christum iussisse, ut fermentatus panis in Divino Sacrificio adhibeatur. Ast, ex Je-

su Christi actione non sequitur (ut observavimus) , ipsum designasse panem accidentali vel fermenti, vel azymi qualitate praeditum, quo unice, tamquam apta materia, uteremur in Actione Mysterii, quemadmodum nec aquam frigidam declaravit solam esse baptismi valide conferendi materiam remotam quando in Jordane aqua frigida adhibita voluit a Joanne baptizari: Neque item sequitur ex actione Christi, praeceptum ab eo datum de consecrando sive in azymo, sive in fermentato, sicuti ex actione, qua in baptismate aqua frigida ablui voluit consequens haud est, quod praeceperit, ut in frigida tantum aqua detur baptismus. Accidentales enim in aqua sunt qualitates frigidum, & calidum, in pane autem azyma, seu fermentum; unde sicuti aqua vere aqua est, frigida sit, an calida, semperque ad Baptismi Sacramentum apta materia, ita & panis triticeus verus panis est, seu azymus sit, seu fermentatus, semperque ad valide consecrandum apta materia „ Panis . . . . „ vocatur & fermentatus, & infermentatus „ ait Theodoritus Saec. V. ad v. 4. cap. 10. Danielis inscitiae eos arguens, qui panem azymum panis nomen mereri negant. Videte igitur, Graeci in Domino charissimi, quam praepostere, injuste, ac sacrilege in S. Petri Sedem, & in universam Latinam Ecclesiam insurgatis, & quam inanibus argumentis, imo potius sophismatibus decipiatis vosmetipsos; quapropter solerter considerate ea, quae SSmus Pontifex Leo IX. ad Cerularium scripsit (Epist. incip. „ In terra pax „ Cap. XI. XII. apud Labb. Tom. XI.) judicia Dei gravissima illum docens, ne & vos in eamdem damnationem miserrime incidatis, & in laqueum mortis aeternae. Quin confugium habere possitis, & clypeum in etymon verbi *Panis*, quasi in graeca lingua ἄρτος interpretetur elevatus a fermento, ut effutiebat Cerularius; nam nullum est reperire eruditum Virum, qui Cerularii etymon probet; quomodo enim verbum αἴρω, scilicet elevo, potest esse radix nominis ἄρτος? Imo ἄρτος dicitur, qui crebro ἄιρεται, idest sumitur, seu editur, vel ab ἄρω, quia naturae humanae convenit, vel ab ἄρτιος, est enim alimentum perfectissimum, & quasi vinculum ceterorum; & revera Scriptura Sacra panes propositionis, qui erant absque fermento, non

semel commemorat, eosque designat graeca voce ἄρτους Matth. 12. v.4.; itidemque panem, quem Christus in Domo Emmaus, qui, ut diximus, erat Azymus panis, graecus textus (Luc. 24. 30.) appellat ἄρτον. Sed falso aeque, ac contumeliose scripsit Michael, quod Latini dum Azyma consecrant communicant cum Judaeis; nam certe maxime differunt ab Haebreis Latini; illis enim praeceptum erat Divinum edendi azyma toto Paschalium dierum curriculo, qui proinde dicebantur *dies Azymorum*, vetitumque eo tempore fermentatum in domibus habere, eoque vesci, in quo ritu, ac sacra caeremonia communicare cum Judaeis interdicunt Sacri Canones non solum Graecis, sed etiam Latinis: Nos vero extra Sacrificium pane fermentato absque piaculo utimur, eumque in domibus retinemus, in Actione autem Mensae Divinae azyma consecramus non vi praecepti Divini per Moysen Haebreis dati, neque vi praecepti D. N. J. C., sed mysticis, piissimisque rationibus, quas Theologi nostri prosequuntur, & ob praeceptum S. Matris Ecclesiæ jubentis, ac declarantis unumquemque teneri conficere Corpus Domini juxta Ecclesiæ suæ Orientalis, sive Occidentalis consuetudinem. Optime de more S. Thom. 3. par. qu. 74. a. 4. ad 2. „ Dicendum, quod conficientes ex „ azymo non intendunt cæremonias legis servare, sed con„ formare se institutioni Christi; & ideo non judaizant. „ Alioquin & celebrantes in pane fermentato judaizarent, „ quia Judaei panes primitiarum fermentatos offerebant „ Quod si aliquando azyma edere idem esset, ac judaizare, sequeretur, quod numquam manducare fas esset azyma Christianis, quia hæbreis numquam id concedebatur Azymorum diebus, quoniam nulla potior est ratio, cur extra Sacrificium edere azyma liceat, in Missa autem nusquam liceat. Nemo vero ex Latinis Populis sanæ mentis homo putat, peccatum esse extra Sacramenti Eucharistici esum comedere panem fermentatum omni die vitæ suæ. Sed num Græci Dissidentes, qui azyma Latinorum in consecrando damnant ab azymis jugiter se abstinent? Num peccatum putant crustulam azymi non a Judaeis, sed a Christianis confectam, acceptamque mittere in os suum? Quis dicat nefas esse „ Christiano placentam sibi parare; offulis diem

frangere, jentare crustulis? „ ait Papadopoli Resp. 14. Sect. 5.

11., & 12. (*Nullum hodie praeceptum urget abstinendi a suffocatis, & animalibus, quae immunda dicebantur; unde per se loquendo licita est eorum comestura*) Quoad comesturam suffocatorum, immundorumque animalium; En quæ protulit Sacrosancta Romana Ecclesia Domini, & Salvatoris Nostri voce fundata in Constitutione S.M. Eugenii IV. incipit „ Cantate Domino „ & data 4. Februar. anni Domini 1441. super Unione Jacobitarum, sive Jacobinorum §. 14. (In Bullar. Rom. edit. Mainárdi Tom. III. Par. III. Eug. IV. Constitutione XXVII.): „ Firmiter credit, profitetur, & „ prædicat, omnem creaturam Dei bonam, nihilque rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, quia „ juxta verbum Domini, non quod intrat in os coinquinat „ hominem: illamque Mosaycæ legis ciborum mundorum, „ & immundorum differentiam ad cærimonialia asserit pertinere, quæ surgente Evangelio transierunt, & efficacia „ esse desierunt. Illam etiam Apostolorum prohibitionem „ ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato „ dicit, illi tempori congruisse, quod ex Judæis, atque „ Gentilibus, qui antea diversis cæremoniis, moribusque „ vivebant, una surgebat Ecclesia, ut cum Judaeis etiam „ Gentiles aliquid communiter observarent, & in unum „ Dei cultum, fidemque conveniendi præberetur occasio, „ & dissensionis materia tolleretur, quum Judæis propter „ antiquam consuetudinem sanguis, & suffocatum abominabilia viderentur; & æsu immolatitii poterant arbitrari, „ gentiles ad Idololatriam redituros. Ubi autem eousque „ propagata Christiana religio, ut nullus in ea Judaeus carnalis appareat, sed omnes in Ecclesiam transeuntes in „ eosdem ritus Evangelii, cæremoniasque conveniant, „ credentes omnia munda mundis; illius Apostolicæ prohibitionis causa cessante, etiam cessavit effectus. Nullam itaque cibi naturam condemnandam esse denunciat, „ quam Societas admittit humana; nec inter animalia discernendum, per quemcumque sive virum, sive mulierem, & quocumque genere mortis intereant; quamvis „ pro salute corporis, pro virtutis exercitio, pro regulari,

„ & Ecclesiastica disciplina possint, & debeant multa non „ negata dimitti, quia juxta Apostolum omnia licent, sed „ non omnia expediunt „. Præiverat in hac tradenda doctrina *S. August. lib. 32. con. Faustum cap. 13.*, ex quo nonnulla verba hæc Constitutio Pontificia desumpsit. Quid sapientius dici potuit, & sacræ Theologiæ principiis convenientius? Ubi enim „ Ecclesia Gentium talis effecta est „ (inquit S. August. eo loco), ut in ea nullus Israelita carnalis appareat, quis hoc jam Christianus observat, ut „ turdos, vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? &c. „ Ad rem Humbertus Cardinalis, & Sylvæ Candidæ Episcopus, qui floruit Saeculo Christi XI., in Dialogo con. calumnias Græcor. inducens Romanum Constantinopolitano respondentem ait „ Nos ergo, „ quamvis a Domino, & ab Apostolis licentiam habeamus „ manducare omnia, quæ nec nostræ, nec fraternæ saluti „ officiunt; consuetudine tamen Provinciarum . . . . . . „ devitamus comedere nonnulla, non quia mala, aut immunda sunt, sed quia aut nobis aliquo modo non expediunt, aut longo usu in naturam jam verso horrent . . . „ Nonne nonnullæ Nationes quibusdam vescuntur, quæ „ aliæ penitus abominantur? Cur hoc: nisi quia unaquæque gens in suo sensu abundans quædam sibi assumpsit, „ quædam rejecit? Unde nos quoque absque culpis in antidotis plurima percipimus, quæ ex serpentibus, & ex „ aliis, quæ execramur, animantibus, assumpta esse non „ dubitamus. Quod ergo infirmo qualiscumque medicina, „ hoc fame pereunti qualiscumque esca: & sicut abominandus infirmus non est artificialiter refectus sanguine, & „ cadavere aliquorum reptilium, (quod putamus Græcos quoque concessuros, qui infirmitate detenti, ne pereant, & ut convalescant, nullo, ut credimus, scrupulo detinentur, ne utantur medicina quamvis condita sit animalium quorumcumque, & eorum, quos pro immundis habent, sanguine, ac carnibus) „ sic nec fame tabescens, si sanguine, & suffocato sustentet miserabiles artus, potens „ etiam ad litteram cum B. Job dicere „ Quæ prius nolebet tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei „ sunt „ Omnis enim Creatura Dei bona, & nihil rejicien-

" dum, quod cum gratiarum actione percipitur . . . Sed
" sive nos, sive vos, quod a Majoribus nostris accepimus,
" aut usu tenemus comedendum sic observemus, ut is,
" qui non manducat manducantem non spernat, & qui
" manducat manducantem non judicet " Si apud, vos, o Græci, inventus aliquis fuerit, qui inedia, ac fame jamjam periturus suffocatum inveniat, aut carnem Ursi; ut quid iste fame interibit ne talia edat? Est ne apud vos tam rigida, imo & inhumana morum disciplina, quamvis ratio fidei, & religionis non urgeat amplius, ut sanguinis, & suffocati vetitum in hanc nostram ætatem protendatis.

13. (*Esus carnium a Monachis Latinis quorumdam Ordinum aliquo anni tempore licitus est, nec proinde redarguendus*). Carpit nos Cerularius eo, quod Monachi Latini carnes edant. Debuerat ille, si veritatem per omnia diligeret, addere *aliquando*, ne tam indefinitam adversus Latinos Monachos assertionem proferret, ob quam simplices, idiotæ, ac ii, qui nesciunt, quæ Monachorum nostrorum sint observantiæ, sibi suadere possint, adeo penes Occidentales voraces esse Ascetas, & temperantiæ contemptores, ut nec jejunia, quæ S. Ecclesia fidelibus omnibus præcipit ipsi servent, neque alia ex proprii Instituti, ac suæ Regulæ præscripto jejuniis Ecclesiasticis superaddant. Redeunt præfata (Num. 2.) ad suadendum Græcis, cum quibus agimus, quam parum charitatis legibus conveniens sit id, quod protulit Michael ad invidiam Monachis nostris faciendam, & eo irreligiosius, quo scire & ipse debuit, omnium ætatum hæreticos, qui Ecclesiæ Catholicæ dogmata, & sanctitatem insectati sunt, in Monachos, Anachoretas, & utriusque sexus Ascetas læthali odio insurrexisse, & insurgere, cum cernant, eorum mores ad omnem virtutem accomodatos, ipsorumque zelum pro Domo Dei Sectariorum vitia, & errores vel tacite damnare; notumque sit ipsis, plurimos ex illis etiam verbo, & scriptis, imo etiam sanguinis effusione hæreses refutasse. Sane Monachorum Patres juxta temporum, locorum, personarum, aliasque circumstantias, hi mitiores, alii rigidiores Alumnis suis jejuniorum præscripsere observantias, quod facile cognosci poterit ex iis, quæ tradunt idonei Auctores, Cassianus de Cænobior,

Institutis, & in Collationibus; nec non Rosweidus in Vitis Patrum ex S. Hieron., Theodoreto, Palladio, Rufino, aliisque antiquissimis Scriptoribus; itidemque videre est in Regulis SS. Pacomii, Basilii Magni, Benedicti, ceterorumque sacrorum Institutorum Auctoribus, ex quibus pauca verba seligam contenta in Regula Pachomii, seu Pachumii sanctitate apud omnes celeberrimi, S. Antonii Abbatis æqualis, & forte discipuli, ac Tabennensium Monachorum in Ægypto Institutoris; quam Regulam ab Angelo Domini seu dictante seu deferente acceptam refert ex Palladio, & ex versione S. Hieronymi ad calcem Opp. Cassiani Alardus Gazæus (edit. Lisp. 1732.). In ea enim (ex Pallad. num. 1.) dicitur „ Concede unicuique (Monachorum) ut „ comedat, & bibat pro viribus comedentium: eis quoque „ manda opera, quæ proportione conveniant, & respon„ deant &c. „. Ipsi Tabennenses Monachi bis in hebdomada, die 4., & 6. omnes jejunabant, excepta Pentecoste: „ Aliis diebus comedunt (ait S. Hieronym. in Præfat. ad Regulam S. Pachomii ibidem relat.) „ qui volunt post meri„ diem; & in cœna similiter mensa ponitur propter labo„ rantes, senes, pueros, æstusque gravissimos. Sunt qui „ secundo parum comedunt, alii qui prandii, sive cœnæ uno „ tantum cibo contenti sunt; nonnulli gustato paullulum „ pane egrediuntur. Omnes pariter comedunt; qui ad „ mensam ire noluerit cellula sua panem tantum, & aquam, „ ac sal accipit sive uno die voluerit, sive biduo „. Sed & laudatus Cassian. S. Joannis Chrysostomi discipulus de Cœnobit. Instit. lib. 5., qui est de spiritu Gastrimargiæ cap. 5. Græcorum objecta præoccupavit inquiens „ Itaque super je„ juniorum modo haud potest facile uniformis regula cu„ stodiri: quia nec robur unum cunctis corporibus inest, „ nec sicut ceteræ virtutes animi solius rigore parantur. „ Et idcirco quia non in sola fortitudine mentis consistunt, „ cum corporis enim possibilitate participant; talem super „ his definitionem traditam nobis accepimus, diversum es„ se refectionis quidem tempus, ac modum, & qualita„ tem, pro impari scilicet corporum statu, vel ætate, ac „ sexu, unam tamen esse omnibus pro mentis continentia, „ & animi virtute castigationis regulam . . . . Attamen

„ unus in omnibus his continentiæ finis est, ne quis ju- „ xta mensuram capacitatis suæ saturitatis onere gravetur „ Videatur cit. Gazæus ad hunc locum. Ita nempe discretionis, & prudentiæ ratio omnia moderari debet, ut nec ex una defectus, neque ex altera parte excessus inveniantur. „ Ut corporeæ (ait S. Isidorus Pelusiota Epist. 131. lib.3.) „ pulchritudinis norma membrorum apta proportio est: ita „ etiam extrema spiritualis exercitationis linea in virtutum „ mediocritate consistit. Nam si extremitates, ut quidam „ sapientes viri pronunciarunt, in vitium degenerent (un- „ de etiam virtutes mediocritates esse definierunt) haud „ abque re sapiens quoque monuit „ Noli esse justus mul- „ tum „. Quotquot autem erant Monachi, de quibus Cassianus, aliique memorati Scriptores loquuntur, Instituta profitebantur ad virtutis culmen attingendum accomodatissima, ex eorumque numero phalanges, ut ita dicamus, Sanctorum prodierunt ad sanctæ Catholicæ Ecclesiæ gloriam, & ornamentum. Judicent Græci adversarii nostri, an Monachi, ut Evangelicam perfectionem assequantur, jejunia Græcorum tenere, ac servare debeant necessario, alioquin inter reprobos adnumerandi, & a cælestis Jerusalem felicissimo regno in perpetuum exulaturi. De Scribis, Pharisæisque Christus Dominus ajebat (Matt. XI. 18. 19.) „ Ve- „ nit . . . . . Joannes neque manducans, neque bibens, „ & dicunt: dæmonium habet. Venit Filius hominis man- „ ducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & po- „ tator vini, publicanorum, & peccatorum amicus „: Photius autem, Cerulariusque, ut Catholicam insectentur Ecclesiam, in eo quod ipsa Clericos Latini ritus volentes sacro Ministerio initiari, & ad Sacerdotalem dignitatem ascendere subdit legi continentiæ ad Christi Jesu exemplum, dicunt, ipsam tyrannorum more onus eis imponere, quod portare non possunt: in eo vero, quod infirmitati fidelium compatiens non cogit ad jejunii ante Paschalis observantiam ultra quadraginta dierum curriculum, Monachisque suis carnis abstinentiam toto vitæ tempore non præcipit, mordent eam quasi delicatiorem, mollemque vitæ rationem temperantiæ virtute dissonam sectetur. Mirandum admodum, & prudenter observandum.

14. (*Falsum, quod Latini in Missa proferant ea verba „ Unus Sanctus &c. „ quæ Cerularius ipsis objecit*). Mendacium est, quod Latini in sacra Liturgia hæc verba alta voce proferant, *unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris per Spiritum Sanctum*, ac si credant, & profiteantur, Verbum Divinum ex Patre natum ab æterno, per Spiritum Sanctum, ac consequenter etiam a Spiritu Sancto generatum. Etenim hæc sunt verba, quibus nos laudamus Deum in Sacra Liturgia: „ Gloria in excelsis Deo . . . , „ quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus „ Altissimus Jesu Christe cum Sancto Spiritu in gloria Dei „ Patris. Amen „ Quid in his Divinis laudationibus invenire est censura dignum? Veniant, quicumque voluerint, ad Ecclesias nostras, dum a Presbyteris sacra Mysterii Actio peragitur, ac testes erunt auditus, si vera sint, quæ dicimus.

15. (*Criminatio a Cerulario data Ecclesiæ Occiduæ de Matrimoniis duorum fratrum cum duabus sororibus aut falsa; aut futilis est*). Criminatio, qua Cerularius Occidentales vexavit, reprehendens eos, quod duo fratres duas sorores ducant, duplicem fortasse potest habere sensum: Nempe, aut quod duo fratres germani duas ducant germanas sorores, quamvis inter sese, utpote omnes ejusdem patris filii, primo jungantur consanguinitatis gradu lineæ collateralis, qui sensus profecto nil aliud esset, nisi purum, putumque mendacium, cum nullibi legatur, in Ecclesia Latina hujuscemodi fuisse concessam dispensationem, ut frater ducat germanam sororem suam: Aut vero, quod fratres duo unius familiæ, uniusque Patris filii matrimonio sibi copulent sorores duas alterius generis, alteriusque parentis filias; hoc autem vere apud Latinos in usu est. Verumtamen est etiam in usu apud Nestorianos, seu Chaldæos, qui forte ex Græcorum id hausere disciplina: hi enim legem Imperialem admittunt, in qua Par. 2. de Matrimonio, relate ad affines nequaquam prohibentur nuptiæ inter affines viri, & affines uxoris (viden. Coll. Can. Arabica Auct. Abulpharagio Benaltibo). Ast certe „ licet omnes consanguinei viri sint affi- „ nes Uxoris, & omnes consanguinei Uxoris sint viri affi- „ nes: inter consanguineos tamen uxoris, & viri ex eorum- „ dem, scilicet viri, ex uxoris, conjugio nulla prorsus affi-

„ nitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri „ Innoc. III. cap. Quod super his De consang., & Affinit. . Et revera, probabunt nusquam Græci, quemadmodum non potuit probare Cerularius, jure naturæ, aut divino, seu etiam œcumenicæ alicujus Synodi Canone vetitum esse inter eas personas contrahi Matrimonia; ac per consequens unusquisque videt, injuria Occiduos exagitatos fuisse a Cerulario. Quod si Græcis placuit in suis vetare Synodis tales nuptias, id equidem Latinis in caussa non fuit, neque est, cur a Græcis se subtrahant; ideoque nec Græci unquam succensere nobis, aut a nobis se avertere debuerunt, quod diversus sit apud nos ordo iste disciplinæ.

16. (*Nec verum est, quod in Missa Latina sacri Ministri osculum dent sibi invicem, quum unice mutuis se amplexibus salutent in signum pacis, & charitatis*). Quod in Missa apud nos tempore Communionis Ministrorum alter alterum osculetur neque hoc verum est. Sane postquam Sacerdos in solemni oblatione protulit verba „ Agnus Dei, qui tollis &c. „ & sequentem Orationem, in signum pacis, & charitatis Diaconum amplectitur, qui eodem sancti amoris officio suscipit Hypodiaconum. Si Græci velint indecenter id agi, caute videant, ne in Montanistarum damnandam, atque damnatam Ethices severitatem incidant, & Dominum N. J. C. etiam reprehendant, de quo scriptum est (Marci 10. 16.) „ Et complexans eos (parvulos), & imponens manus super illos benedicebat eos „ Ast, sciscitamur Græcos, malum ne est salutare in osculo sancto? Si malum est, peccatum suadebant S. Petrus (Epist. 1. c. 5. v. 14.) inquiens „ salutate invicem in osculo sancto „; & S. Paulus, qui eadem pluries scribebat, nempe in Epist. ad Rom. 16. 16., 1. ad Corint. 16. 20., 2. ad Corint. 13. 12., 1. ad Tessalonic. 5. 25. „ Salutate fratres omnes in osculo sancto „ Sileant igitut ne errent, neve alios in errorem inducant.

17. (*Laudabile, & pium est Episcopos Annulum gestare*). Conviciantur iidem Græci Latinos Episcopos, quia ornantur Annulis ceu Ecclesiæ Sponsi. Annuli etiam nostrorum Antistitum eos offendunt, eo quod Ecclesiarum suarum se Sponsos esse hoc visibili symbolo declarant. Sed hoc

symbolum spiritualium Ovium conciliat obsequium, sanctamque eorum fovet dilectionem cum viderint Episcopos suos, qui Angeli etiam Ecclesiarum in Sacris Scripturis appellantur, tanta eos charitate prosequi, ut strictissime sibi commissæ Plebi, Ecclesiisque suis adhæreant, parati labores suos usque ad ultimum spiritum in ipsorum utilitatem, ac salutem impendere, omnibus humanæ vitæ commodis & utilitatibus abrenunciare, omnia sustinere temporalia mala, &, si opus fuerit, dare animam suam pro Ovibus suis. Quod si amoris signum erga Dominicum gregem ipsorum curæ traditum præsefert Annuli Episcopalis gestatio; etiam fideles reliquos provocat ad virtutes exemplo dum isti quantus sit in Episcopis zelus pro Ecclesia, qualis perfectionis professio oculis suis in emblemate cernunt. De Episcopalibus ornamentis agens S. Thomas (4. sentent. dist. 24. q. 3. ar. 3. c.) ait „ Per Annulum (significatur) sacramentum fi„ dei, qua Ecclesia desponsatur Christo; ipsi enim sunt „ Ecclesiæ Sponsi loco Christi „. Unde & per sacros Canones sanctitum est, imo ex antiquissimo Catholicæ Ecclesiæ instituto a primis sæculis traditum, non licere Episcopis, nisi gravissima urgente caussa, & legitima dispensatione accedente, Ecclesias suas deserere, aut, una relicta, aliam petere. Notum hoc Græcis, & in utraque Ecclesia Latina, ac Græca jugiter custoditum, quoniam persuasum semper fuit omnibus, matrimonio spirituali cum sua Ecclesia Episcopum conjungi. Quare ergo signum fidei datæ Antistiti non liceat in digito habere? Repertum est Romæ anno Domini 1622. in vetustissimis Catacumbis S. Callixti, seu S. Prætextati nuncupatis Sepulchrum S. Caii PP., & M., qui Sæc. Christi 3. passus est in Persecutione Diocletiani; in quo sepulchro, præter veneranda Lipsana S. Pontificis, Pontificius etiam aderat Annulus: Hujus inventionis legitimum, authenticumque documentum editum fuit Romæ anno 1628., & meminit Arringh. Edit. Arnhemiæ pag. 594., ut videre est penes Boldett. in singulari Op.: Observat. in Cœmet SS. MM. &c. pag. 101. seqq.. A primis igitur Ecclesiæ sæculis probatus est usus Annulorum Episcopalium penes Occiduos; qui usus sine querela Græcorum retentus est spatio circiter annorum mille, donec Michaeli Cerulario Serpens

antiquus, & modernus ingessit spiritum saperbiæ. ac prophanæ novitatis, quo in Latinam, seu Catholicam Ecclesiam pestiferum jaceret persecutionis venenum.

18. (*Episcopis non licet ad bella cum armis descendere, neque bellare quod etiam Ecclesia Latina prohibuit; sed adesse ipsos Castris ad spiritualia munia exercenda non solum laudabile, sed & piissimum est*). Obscuris etiam coloribus delineavit Michael sacros Antistites nostros dum scripsit: Quod Latini Episcopi ad bellum exeuntes manus suas sanguine coninquinant, & suis manibus occidunt. Brevi sermone pene ab exordio rem investigemus (de qua prolixe agit Thomassin. de vet., & nov. Eccl. discipl. Part. 3. lib. 1. cap. 40. 45. 46. 47.), ut acrem hanc invidiam ab Episcopis vetustæ ætatis propulsemus. Ante tempora Caroli Magni ex Clericis, & Episcopis nonnulli arma induebant, & cum militum suorum cuneis, regiis exercitibus accedebant in omnibus propemodum Occidentalibus Provinciis: Sed Carolus Sedis Apostolicæ monitis obsecundans, & precibus Episcoporum, usum damnavit insolentissimum, retractans consilia sua „ Apostolicæ Sedis (ait) „ hortatu, omnium„ que fidelium nostrorum, & maxime Episcoporum, ac „ reliquorum Sacerdotum consultu &c. Nosmetipsos corri„ gentes, posterisque nostris exemplum dantes, volumus „ ut nullus Sacerdos in hostem pergat, nisi duo, vel tres „ tantum Episcopi electione ceterorum, propter benedictio„ nem, & prædicationem, populique reconciliationem; & „ cum illis electi Sacerdotes, qui bene sciant populis pœ„ nitentias dare, Missas celebrare, de infirmis curam habe„ re, sacratique Olei cum sacris precibus unctionem im„ pendere, & hoc maxime providere, ne sine Viatico quis „ de sæculo recedat „ (Concil. Gallic. Tom. 2. p. 235. &c., Capitul. 1. Tom. 7. cap. 91. 103.). Observa: Quod itio Episcoporum ad bellum cum armis res maxime detestanda visa est Episcopis ipsis, qui urgente Rege inviti incedebant, qua de re a Supremo Principe instantissime petierunt, ut insolenti hoc onere levarentur: Quod Apostolica Sedes, cui tunc insidebat S. Leo PP. III. auctoritatem suam cum Episcopis conjunxit: Quod Princeps mutatis consiliis rem sancte composuit, necessarium enim est ad æternam salutem mi-

litum procurandam, subveniendumque eis per spiritualia verbi, & Sacramentorum auxilia, adesse inter milites, maxime procedentes ad bella, Sacerdotes, opportunumque valde reperiri etiam Episcopos, qui superiori scientia, prudentia, auctoritate tum ipsi subveniant animabus, tum & Presbyteris regulas tradant observandas. Certe, laudabile opus hoc est, quamadmodum grande malum, ac spiritaliter mortiferum, quod Milites aut in Castris, & Stationibua manentes, aut in expeditionibus periculosissime occupati destituantur Sacerdotum præsentia, cura, sollicitudine, & sine spiritualium Mysteriornm, exhortationum, consiliorum auxiliis obviam eant igneis tormentis, mortemque (heu amarissimam!) oppetant. Observa itidem, quod sacrarum Reliquiarum pignora ad Exercitus, & in Castra vectarent Episcopi, & Sacerdotes „ ad Sanctorum patrocinia portan- „ da „: Quodque nec Episcopis fas erat, nec Presbyteris arma ferre, ad pugnam pergere, effusores sanguinis, vel ad effundendum agitatores fieri, sed orationibus debebant insistere. Convocavit S. Nicolaus I. PP. Gallos, & Germanos Præsules, ut ad Concilium Romanum venirent: Carolus M., ac Ludovicus Pius responderunt Pontifici, majorem partem Episcoporum excubias agere in exercitu ipsorum „ Quod subintulisti dicendo (verba sunt Epistolæ S. Nico- „ lai ad Reges Epist. 25.) majorem partem Episcoporum „ omnium diu, noctuque cum aliis fidelibus tuis, contra „ Piratas maritimos invigilare „. Doluit autem Pontifex, rescripsitque Principibus „ Cum Militum Christi sit Chri- „ sto servire; Militum vero sæculi sæculo. Quod si sæculi „ milites sæculari militiæ student, quid ad Episcopos, & „ milites Christi, nisi ut vacent orationi? „ Nempe improbabat sanctissimus hic Papa, quod in Castris ceu milites versarentur Episcopi, non autem si adessent ad munia spiritualia exercenda. Hæc Photii ævum præivere; ac talis per Catholicam Ecclesiam tunc jam firmata sententia erat quoad hoc disciplinæ caput; quare sapientior in hac parte, atque humanior Cerulario Photius id non objecit Latinis. Sed quamvis disciplina sequentium sæculorum cum priore concineret, nihilominus acrior Cerularius, & indoctior, aliis haud contentus hanc etiam addidit inopportunam queri-

moniam. Siquidem S. Leo IX. PP. in Concil. Remensi Decretum edidit „ Nequis Clericorum arma militaria gestaret, „ aut mundanæ militiæ deserviret „ (Sess.3. Can. 6.) Quem Canonem doctissime exponens Thomassin. l. c. cap. 45. num. 3. ait „ Nec crimini datum nisi ubi Clerici arma ge- „ starent , ubi in aciem descenderent , manus consere- „ rent, sanguinem funderent, mactarent. Quo & in Gal- „ liis semper interdicti sunt Clerici. Sive enim mitterent, „ sive deducerent Copias Episcopi, & Abbates, sive Regi „ præsenti præsto essent; abstinendum tamen illis semper „ erat armis, acie, cæde: nec certandum nisi votis , & „ precibus, quibus victoria acceleratur, & victoriæ fructus „ pax „. Et cap. 47. num. 4. & 5. „ In Anglia quoque il- „ lud tenebatur, quod de aliis supra Ecclesiis demonstra- „ tum est, ut Episcopi armatorum globos ducerent; non „ ut ipsi arma induerent; non ut manu pugnarent, quo- „ rum arma lacrymæ, gemitus, preces erant. Si qui has „ lineas prætergrederentur, eos Ecclesia ut degeneres, & „ malesanos detestabatur . . . . Eo vero ita fixo, & con- „ stituto, numquam licuisse Episcopis ut armis vel cinge- „ rentur , vel congrederentur ; jam extra controversiam „ est, diutius in Anglia quam in Gallia Episcopos munus „ obiisse mittendi, vel ducendi milites ad Castra Regum, „ ut nutanti Regno succurrerent &c. „ Certe in Concil. Coyacensi Hispaniæ habito anno 1050. Can. 3. decretum fuit „ *Presbyteri. & Diacones* (eo magis Episcopi), *qui ministerio funguntur Ecclesiæ , arma belli non deferant* „. Tandem laudatus Thomass. l.c. cap.47. num. 9. ait „ Fateor „ melioribus primævæ Ecclesiæ Saeculis non ita frequentes „ fuisse Episcopos in Principum Regia, & Castris. Sed „ quis controversiam faciet providentiæ Summi Numinis, „ varia Ecclesiæ suæ tempora dispensanti, & ita illius dis- „ ciplinæ moderanti, ut vices eas subire cogatur, quarum „ varietas illuminatæ fidei oculis nihil offensionis, quin vo- „ luptatis, & admirationis plurimum afferat? Et neminem „ tamen præterit, cum primum Imperatores Christiani fue- „ re fide initiati, fuisse & in eorum Castris Episcopos com- „ militones individuos , Sacrorum administros „ Eadem vero Dei providentia factum est, ut jam desierit consuetu-

do, quæ Episcopos ad Castra mittebat, ac ea tantum pie, laudabiliterque in Exercitibus, qui Catholico more instructi sunt, retineatur, qua Sacerdotes Capellani ad spiritualia ministranda comites habeantur. Si unus, aut alter Episcopus præteritis temporibus a recta observantia sacrarum Ecclesiæ legum deflexit, id singulorum vitio vertendum est, non universæ Latinæ Ecclesiæ; injustum quippe Corpori Ecclesiæ tribuere quæ singuli peccata committunt cum a Gentium Apostolo didicerimus, quod „ unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo „ (Rom. 14. 12.); „ „ Unusquisque onus suum portabit „ (Galat. 6.5.). Finem faciamus verbis S. Thomæ mira eruditione, ac discretione exponentis Occiduæ Catholicæ Ecclesiæ doctrinam (2.2. quæst. 4. ar. 2.) Statuit enim ille (in corp.) non licere Episcopis, & Clericis pugnare; deinde ad argumenta in contrarium respondens inquit (ad 1.) „ Dicendum, „ quod Prælati debent resistere non solum lupis, qui spi„ritualiter interficiunt gregem, sed etiam raptoribus, & „ tyrannis, qui corporaliter vexant, non autem materia„libus armis in propria persona utendo, sed spiritualibus „ secundum illud Apostoli II. ad Corinth. 10. 4. „ Arma „ militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo, quæ „ quidem sunt salubres admonitiones, devotæ orationes, „ contra pertinaces excommunicationis sententia „. (ad 2.) „ Dicendum, quod Prælati, & Clerici ex auctoritate Su„perioris possunt interesse bellis, non quidem ut ipsi pro„pria manu pugnent, sed ut juste pugnantibus spirituali„ter subveniant suis exhortationibus, & absolutionibus, „ & aliis hujusmodi spiritualibus subventionibus; sicut in „ veteri lege mandabatur Josue 6., quod Sacerdotes sacris „ buccinis in bellis clangerent. Et ad hoc primo fuit con„cessum, quod Episcopi, vel Clerici ad bella procede„rent: quod autem aliqui propria manu pugnent abusio„nis est. (ad 3.) Dicendum, quod . . . . omnis poten„tia, vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet „ disponere de his, quæ sunt ad finem. Bella autem car„nalia in populo fideli sunt referenda sicut ad finem, ad „ bonum spirituale divinum, cui Clerici deputantur. Et „ ideo ad Clericos pertinet disponere, & inducere alios ad

„ bellandum bella justa. Non enim interdicitur eis bellare, quia peccatum sit, sed quia tale exercitium eorum „ personæ non congruit „. Nil, putamus, inclementiori suo intellectus acumine invenient Cerularii Sodales, quod in hac doctrina redarguant.

19. (*Baptismus valide confertur sive per unicam, sive per trinam immersionem; sive per effusionem, aut infusionem; sive per aspersionem*) De unica mersione in Baptismo, quam damnant Dissidentes Græci, & jamdiu Cerularius Latinis objecit, agunt Theologi nostri, atque validissimis argumentis ostendunt, unicam etiam mersionem sufficere in collatione Sacramenti Baptismi ad ejus valorem. Sciunt tamen Græci, penes Latinos omnes usum a sæculis invaluisse, ut baptisma per effusionem, seu infusionem conferatur. Ut autem nonnihil claritatis ad Græcos istos illuminandos huic nostræ orationi afferamus, observandum censemus, baptismum aliud non esse, quam *ablutionem*, & *lavationem*, ut constat ex Sac. Scripturæ dicendi usu „ Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit mortuum quid proficit „ lavatio ejus?„ (Eccl. 34. 30.). Baptismum igitur cum dignatus fuit Christus Dominus instituere, in lavacro eum voluit consistere, hoc est voluit, lavacrum esse, ut esset interioris ablutionis, & sanctificationis visibile signum; ideoque „ Sacramentum non perficitur in ipsa aqua, sed „ in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ablutio „ S. Thom- (3. par. qu. 66. art. 1. c.). Et certe Christus ipse post resurrectionem suam mandatum dedit Apostolis dicens „ Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti „ (Matt. ult. 19.), & S. Paulus ait, quod Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret „ mundans lavacro aquæ in verbo vitæ „ (Ephes. 5. 25.26.); quodque benignitas, & humanitas Salvatoris nostri secundum suam misericordiam salvos nos fecit „ per lavacrum regenerationis, & „ renovationis Spiritus Sancti „ (Ad Tit. 3.4.5.). Quoniam autem Dominus dilexit Ecclesiam, & infinito amore amavit animas, pro quibus omnibus mortuus est, hinc ut eas salvas faceret ad Sacramentum necessitatis medii, quod est baptismus, perficiendum, & accipiendum eam determina-

vit materiam, quæ de facili haberi possit, ut subveniatur etiam infantibus, qui ante usum rationis defectum *baptismi in re* supplere nequeunt flaminis, hoc est desiderii, baptismate; Unde S. Thom. (l. c. art. 3. c.) ait, quod convenienter ex institutione divina aqua est propria materia hujus Sacramenti ex eo etiam,, quia ratione suæ communitatis, &
,, abundantiæ est conveniens materia necessitati hujus Sa-
,, cramenti; potest enim ubique de facili haberi ,,. Igitur nec dubitari potest, materiam Baptismi, *remotam* quidem esse aquam naturalem, & simplicem; *proximam* vero aquæ usum, sive applicationem aquæ ad hominem, quæ est ablutio. De hac proxima materia præclare agit S. Thomas (l.c. art. 7.8.), cujus verba rationibus firmissimis innixa operæ pretium est referre, ut Græci, nisi auctoritate, argumentis saltem convicti ab erroribus suis deducantur: Ait autem S. D. ar. 7. ,, Sed contra
,, est, quod Hæbr. X. 22. dicitur ,, Accedamus cum vero
,, corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia
,, mala, & abluti corpus aqua munda ,,. Respondeo dicen-
,, dum quod aqua assumitur in Sacramento baptismi ad
,, usum ablutionis corporalis, per quam significatur inte-
,, rior ablutio peccatorum. Ablutio autem fieri potest per
,, aquam, non solum per modum immersionis, sed etiam
,, per modum aspersionis, vel effusionis. Et ideo quamvis
,, tutius sit baptizare per modum immersionis, quia hoc
,, habet communior usus,, (sua nempe ætate; qui usus postea apud Occidentales omnino exolevit) ,, ; potest tamen
,, fieri baptismus per modum aspersionis, vel etiam per
,, modum effusionis secundum illud Ezech. 36. 25. ,, Effun-
,, dam super vos aquam mundam ,,, sicut B. Laurentius le-
,, gitur baptizasse: & hoc præcipue propter necessitatem,
,, vel quia est magna multitudo baptizandorum, ut patet
,, Act. 2., & 4., ubi dicitur quod crediderunt una die tria
,, millia, & alia die quinque millia. Quandoque autem
,, potest imminere necessitas propter paucitatem aquæ, vel
,, propter debilitatem Ministri, qui non potest sustentare
,, baptizandum, vel propter debilitatem baptizandi, cui
,, potest imminere periculum mortis ex immersione. Et
,, ideo dicendum est, quod immersio non est de necessita-
,, te baptismi, Ad primum ergo dicendum, quod ea, quæ

„ sunt per accidens non variant substantiam rei. Per se „ autem requiritur ad baptismum corporalis ablutio per „ aquam: unde & baptismus lavacrum nominatur secun„ dum illud Ephes. 5.26. „ Mundans eam lavacro aquæ in „ verbo vitæ „: Sed quod fiat ablutio hoc, vel illo modo „ accidit baptismo. Et ideo talis diversitas non tollit uni„ tatem baptismi. Ad 2. dicendum, quod in immersione „ expressius repræsentatur figura sepulturæ Christi; & ideo „ hic modus baptizandi est communior, & laudabilior. Sed „ in aliis modis baptizandi repræsentatur aliquo modo, li„ cet non ita expresse; nam quocumque modo fiat ablutio, „ Corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquæ supponitur, „ sicut Corpus Christi sub terra fuit positum „ Et art. 8. „ „ Sed contra est, quod Gregorius „ (nempe S. Gregorius PP., quem Græci *Dialogum* nominant, & ob clarissimam sanctitatem, & insignem doctrinam observant merito, *& colunt*) „ dicit scribens Leandro Episcopo (in Regest.lib.1. „ Epist. 41. a med.) „ Reprehensibile esse nullatenus po„ test infantem in baptismate vel ter, vel semel immerge„ re: quoniam & in tribus immersionibus Personarum Tri„ nitas, & in una potest Divinitatis singularitas desi„ gnari „ Respondeo dicendum; quod . . . . . ad baptis„ mum per se requiritur ablutio aquæ, quæ est de necessi„ tate Sacramenti, modus autem ablutionis per accidens se „ habet ad Sacramentum . . . . Sed diversis ex causis se„ cundum ordinationem Ecclesiæ quandoque institutus est „ unus modus, quandoque alius . . . . Postmodum vero „ inolevit quorumdam Schismaticorum, & hæreticorum er„ ror homines rebaptizantium, sicut de Donatistis Augusti„ nus narrat super Joan. (tractat. 11. a med.), & Lib. de „ hæres. (hæres. 69.): & ideo in detestationem erroris eo„ rum fuit statutum in Concil. Tolet. IV. (Can. 6., & ha„ betur cap. 85. de Consecr. Dist. 4.), quod fieret una so„ la immersio: ubi sic legitur „ Propter vitandum scanda„ lum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus „ baptismi immersionem „. Sed cessante tali causa, com„ muniter observatur in baptismo trina immersio. Et ideo „ graviter peccaret aliter baptizans, quasi ritum Ecclesiæ „ non observans; nihilominus tamen esset baptismus,

„ Ad 1. . . . . dicendum quod Trinitas est sicut agens „ principale in Baptismo. Similitudo autem agentis pervenit ad effectum secundum formam, & non secundum „ materiam. Et ideo significatio Trinitatis fit in Baptismo „ per verba formæ, nec est de necessitate, quod significetur Trinitas per usum materiæ, sed hoc fit ad majorem „ expressionem. Similiter etiam mors Christi figuratur sufficienter in unica immersione. Triduum autem Sepulturæ non est de necessitate salutis nostræ; quia etiamsi uno „ die fuisset sepultus, vel mortuus suffecisset ad perficiendam nostram redemptionem. Sed triduum illud ordinatur ad manifestandam veritatem mortis . . . . Et ideo „ patet, quod trina immersio nec ex parte Trinitatis, nec „ ex parte Passionis Christi est de necessitate Sacramenti „ Ideo autem dixit S. Thomas, graviter peccaturum eum, qui aliter quam trina adhibita immersione baptizaret, quia a ritu Ecclesiæ (qui ævo suo trinæ erat immersionis) discordare sine gravi culpa non possumus. At vero aliter nunc dicendum, quoniam ab antiquo in Occidente communiter baptismus datur per infusionem, sive effusionem, probantibus Summis Romanis Pontificibus. Ceterum verissima, ac solidissimis rationibus fulcitur S. Thomæ doctrina, itaut a nemine, qui sacræ facultatis fontibus vel labia admoverit, possit in dubium revocari. Quo loco duo sunt fideli mente consideranda: Nempe, Sanctum Jesu Christi Evangelium cum texit historiam baptismi a Christo suscepti, refert eum a Joanne baptizatum in Jordane, & ait „ (Matt. 3. 16.) „ Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua „ (Viden. Marci 1. v. 9. 10.) nec in eo legitur, Christum per ter descendisse in aquam, ac per ter de ea ascendisse, quod certe SS. Evangelistæ expressis verbis narrassent si trina immersio ad Sacramenti valorem necessario requireretur; quin imo naturalis, & obvius verborum sensus legentes suadet, semel tantum Christum Jesum descendisse in Jordanem, ab eoque ascendisse „ baptizatus autem „ Jesus confestim ascendit de aqua „: Ad hæc; ut vidimus, voluit Divinus noster Salvator, cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, eam determinare ad Baptisma *remotam materiam*, quæ esset fa-

cillime pervia, ut animabus, quæ sub diaboli potestate essent per originale peccatum, posset expedita ratione succurri, quoniam necessitatis est Sacramentum; nec igitur voluit ad validitatem ejus eam præscribere *proximam materiam*, seu *aquæ usum*, qui difficilior redditur, itaut alio modo collatus baptismus esset inanis ad animarum salutem. Patet autem omnibus, trinam immersionem haud expeditam esse, & laboriosiorem, difficilioremque haberi quam sit vel unica immersio, vel aspersio, vel etiam effusio; & aliunde non unum dari casum, quos etiam tangit laudatus S. Thomas relatis verbis, in quibus vel aquæ paucitas, vel debilitas ministri, aut baptizandi, cui periculum mortis ex immersione, maxime trina, possit imminere, impossibilem, aut difficillimam reddant baptismi collationem immersione trina perficiendam: Numquid hujuscemodi positis circumstantiis putant Dissidentes Græci, sine remedio Sacramenti perire debere animas, quas proprio sanguine, tot lacrymis, & laboribus, ac morte sua redemit Jesus Christus, præsertim si de infantibus sermo sit; nec profuturum eis baptisma, quod aut unica immersione, aut aspersione, aut effusione ministretur? Absit a Christiano corde durissima, & immitis sententia a mansuetudine, & pietate Christi alienissima. Hinc est, quod pia Mater Catholica Ecclesia reprehendit numquam antiquissimum ritum baptizandi seu per unicam immersionem, seu per aspersionem, seu per effusionem, nec umquam reiterandum censuit baptismum, qui per trinam immersionem non sit aliquando collatus, dummodo omnia rite in eo administrando servata sint circa materiam, formam, & intentionem Ministri, ac subjecti. Dissidentes Græcos perstringit Cl. P. de Carboneano (in Append. de Orient. Eccl. in Baptis. conf. discipl. §. 1. ad Theol. Mor. P. Antoine Tract. de Bapt.), unde verba ipsa excerpere expediens nobis est valde, ne plagii criminis ab aliquo damnemur. Ait igitur A. „Circa hujusmodi ritum „ (in modo baptizandi) „ Photianorum plerique „ errore non carent. Vitio enim vertunt Latinis, quod per „ aspersionem, vel infusionem baptizent, eosque ut irrideant *Adspersos* vocare solent. (Licetne irridere cum agitur de sacris rebus?) „: atque trinam immersionem vel ad

„ Baptismi essentiam pertinere, vel ex Christi præcepto
„ adhibendam esse arbitrantur . . . . Sed facile est errores
„ hujusmodi detegere, ac refutare; nam Christus Dominus
„ baptisma instituit; Baptisma autem lotionem significat,
„ ut ex ipsis Photianis testantur Balsamon in medit. de Sa-
„ cram., Aristenus in explic. de Sacr. C. De Bapt., Jere-
„ mias Patriarcha Constantinopolitanus in 2. Exposit. fidei
„ ad German., & alii, quos refert Rhodinus in Orat. 1.
„ de Sacram. Lotio autem non per solam immersionem,
„ sed etiam per infusionem, & aspersionem fit, ut con-
„ stat ex Vaticinio Danielis (c.4. v. 22.) . . . & ex Ps.50.
„ v. 9. „ asperges me &c. Imo Cyprianus, aliisque Patres
„ hæc verba, quæ habentur Ezech. 36. v. 29. „ Aspergam
„ super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus
„ iniquitatibus vestris „ ad Baptisma, quod Christus in-
„ stituit spectare docuerunt. Et Ecclesia ratum semper ha-
„ buit Baptisma Clinicorum, eorum scilicet, qui infirmi-
„ tate præpediti in lecto per aquæ aspersionem baptizaban-
„ tur. Hujus rei testes sunt, præter Cyprianum, aliosque
„ PP., Concilia Neocesarien., Laodicen., Antisiodoren.,
„ & alia . . . . Sed quid opus est verbis? Photiani ipsi in-
„ fusione baptizant. Testatur id Goarius in Not. ad Offic.
„ Bapt.; imo Neophitus Rhodinus & Græcus, & in Græ-
„ cia diu versatus, ita Græcorum baptisma describit in
„ Synops. doct. Christ., ubi de Bapt. „ Ter aquam super
„ eum, qui baptizatur, infundimus, ut S. Trinitatem, in
„ cujus Nomine baptizamur, declaremus „ Vides ergo, a
„ Græcis quoque infusione Baptismum conferri, ac sanio-
„ res inter eos perinde habere infusione, ac immersione
„ baptizare. Quare citatus Rhodinus eodem loco infusio-
„ nes, *immersiones* vocat, dum subdit „ & ut insuper tri-
„ bus illis emersionibus mortem, sepulturam, resurrectio-
„ nemque Christi profiteamur. „ Hinc Prodromus de in-
„ terpret. ad Can. 50. Apost. hunc in modum Coresii stulti-
„ tiam damnat: „ Sunt qui adeo necessarias immersiones
„ existiment, ut dicant non conferri Baptismum, non
„ immerso illo, qui venit ad Baptisterium. Errant hi ta-
„ men, quando id aperte Canon minime jubet. Is immer-
„ sionem non ad constitutionem Sacramenti decernit, sed

„ ad ejus perfectionem, ut triduo sepultum Christi Corpus „ commemoret; „ (nempe Canon ille vult, a Græcis in Ecclesiis, in quibus immergendi usus penes omnes erat, hunc esse tenendum ad unitatis leges servandas, & ad scandalum vitandum) „. Fit enim verum baptisma per „ aquæ consecratæ infusionem &c. Refert Papadopoli præ- „ not. Mystag. resp. 5. Sess. 3. hanc Prodromi sententiam, „ imo ipsius verba approbasse publica auctoritate sex Pa- „ triarcharum Synodica; Catholicorum, Nicephori, Me- „ thodii, & Veccii; Schismaticorum, Nicolai Muzalonis, „ Georgii Xiphilini, & Philothei Palamitæ, quos refert „ accurate, & laudat Canonarca „ (Viden. Prooemium ad præsens Op. num.8.)

20. (*Ritus a Latinis servatus immittendi sal in os baptizatorum religiosus, & pius ritus est*) Insurrexit adhuc Cerularius in Latinos, eo quod salem in os baptizatorum immittant. Ast vero plurimi certe faciendæ sunt, magnoque in honore haberi debent cæremoniæ, ritusque, quibus Catholica Ecclesia Latina confert Baptisma. Id satis docet tum Instituentium auctoritas, qui sine controversia Sancti Apostoli fuerunt, nam illas semper adhibitas fuisse, in Occidente testes sunt antiquissimi PP., qui de iis loquuntur; aliunde autem nec ab ullo Concilio leguntur institutæ, quare juxta regulam a S. Augustino datam (lib.4. de bapt.c. 24.) nonnisi auctoritate Apostolica traditas rectissime creditur: tum finis, cujus causa eas Apostoli servari voluerunt, ita enim Sacramentum majori cum reverentia, ac sanctitate ministrari, ac veluti ante oculos poni præclara illa, & eximia dona, quæ in eo continentur, & in animos fidelium immensa Dei beneficia magis imprimi, perspicuum est. Singulæ autem Cæremoniæ, ut quæ mysticæ, propriam, atque illustrem significationem habent. *Cum sal in illius os, qui ad Baptismum adducendus est, inseritur*, hoc significari patet, cum fidei doctrina, & gratiæ dono consecuturum esse, ut a peccatorum putredine liberetur, saporemque bonorum operum percipiat, & Divinæ Sapientiæ pabulo delectetur si fidem corde integram tenuerit, & immaculatum se custodierit ab hoc sæculo; simulque admoneri baptizandum ne ultra a condimento sapientiæ desipiat, neque retro aspiciat sicut

Uxor Loth (Yvo Carnot. Serm. de Sacram. Neoph.) ; vel ut ait Alcuinus (De Divin. Offic. cap. 19.) salem accipit Catechumenus, ut putrida, & fluxa ejus peccata sapientiæ sale Divino munere mundentur. Denique S. Thomas par.3. qu. 71. ar.2. c. inquit: „ Sal . . . . in os missum, & na„ rium, & aurium sputo linitio significat receptionem do„ ctrinæ fidei quantum ad aures, & approbationem quan„ tum ad nares, & confessionem quantum ad os „. Quid nam inordinatum; quid inconveniens; quid damnandum invenit querulus Cerularius?

21. (*Putida, & anilis calumnia, quod Latini nec Sanctorum reliquias, nec sacras Imagines venerentur*) De Latinis insuper dixit iste (quis crederet!), quod nec Sanctorum reliquias, nec Sacras Imagines venerentur Latini. Equidem a lacrymis nobis temperare non possumus dum coram Domino serio consideramus quo tandem impellant præjudicatæ, ac malæ, exstimulantibus odio, & amore sui usque ad contemptum Dei, præconceptæ opiniones. Omnibus notum est a Sæculis, & scitum penes universas Mundi plagas, quod Latina Ecclesia Catholica ab ortu sui Sanctorum coluit exuvias; ac SSmæ Crucis Christi Domini, Bmæ Virginis, aliorumque Beatorum Imaginibus religiosum cultum exhibuit, itaut Cerularius, & siqui alii ipsius vestigiis insistunt ignorantiam obtendere nequeant. In Oriente celebrata fuit Synodus Œcumenica VII., hoc est Nicæna II. in qua solemni Decreto fidei assertus est Sacrarum Imaginum cultus; Vetustissimæ penes nos asservantur Cælitum Icones in Ecclesiis, in domibus etiam nostris; pervia sunt Opera SS. PP., quorum traditiones Divinas reverenti animo suscipimus, de SS. Reliquiarum veneratione loquentia; traduntque historiæ primorum sæculorum, fideles Martyrum Christi sanguinem, sacraque pignora religiosissime servasse; qua de re nonnisi putidam refert in nos calumniam Cerulariana criminatio. De hoc argumento redibit, Deo adjuvante, sermo inferius, quando cum aliis Sectariis erit sermocinatio nostra.

22. (*Rite, ac recte penes Latinos quadragesimali tempore silet ALLELUJA*) Tandem Latinos Adversarii sugillarunt, quod *Alleluja* Quadragesimali tempore non canant.

Facilis equidem, ac per omnia persuasibilis responsio est, quæ ab intrinseca significatione sumitur Vocis *Alleluja*. Doctissimus Theologus D. Alardus Gazæus, cujus supra meminimus, in Comment. ad Joan. Cassian. Opp. omn. lib. 2. de Cœnobit. Instit. Cap. XI. hæc ait „ Psalmi, qui pro titulo habent „ Alleluja „ sunt numero viginti . . . quos „ idcirco SS. PP. Hieronymus, & Augustinus vocant „ Allelujaticos „ ; nec aliam rationem istius inscriptionis afferunt, quam quod Psalmi isti singularem, ac festivam „ Dei laudem præ aliis contineant, quam titulus ipse indicat. *Alleluja* enim duobus vocabulis „ laudate Deum „ „ cum jubilo, lætitia, & cantu; sive „ Jubilate Deo „ sonat. Unde in Cœlo, ubi læta sunt omnia, perpetuum „ est „ Alleluja „ Apoc. 19. . Et in Ecclesia lætis dumtaxat temporibus canitur jam inde ab Apostolico sæculo, „ ut testatur D. Augustinus in Psal. 106. Usum autem canendi hanc vocem in Ecclesia ex Aggæo Propheta manasse, qui primus omnium cantavit „ Alleluja „ cum novam Templi structuram vidit, testatur S. Epiphanius lib. „ de Prophet. vit., & interitu c. 20., idque secundum Tobiæ prophetiam c. 13.; cum alioqui multi Psalmi, quos „ notavimus „ Alleluja „ titulo inscripti, ante illorum „ tempora haberentur . . . . Porro ad hujus institutionis „ veterum illorum Monachorum imitationem videtur etiam „ D. Benedictus instituisse, ut post duodenarium Psalmum, qui est ultimus 2. Nocturni canatur „ Alleluja „ „ extra Septuagesimam diebus feriatis; post Cantica vero diebus Dominicis „ . Sane Quadragesimalis jejunii diebus recolit Ecclesia D.N.J.C., suique dilectissimi Sponsi Passionem, & mortem acerbissimam, ob idque pullam induit vestem, ac mestitiæ signis dolorem suum significat; præcipitque filiis suis, ut pœnitentiam agant, Christo condoleant, moresque reforment; abstinet ideo a lætitiæ Canticis, a tibia, & cythara; quomodo enim cum dolore sonitus gaudii conjungi potest, siquidem *musica in luctu importuna narratio*? (Eccl. 22. 6.)

IX. (*Gravissimum ad Dissidentes Græcos S. Leonis IX. Romani Pontificis monitum*) Finem loquendi ad Græcos, atque Ruthenos Dissidentes faciat S. Leo IX., qui in Episto-

la ad Michaelem Cerularium incip. „ In terra pax „ Cap.: 8.
(Labb. Tom. XI.), asserta sana doctrina Romanæ, Latinæque Ecclesiæ (cui Photius, ejusq. assecla Michael, sibi ipsis componentes fidem, contradixere), & sanctæ Unitatis cum eadem Ecclesia necessitate proposita, illum ad sana consilia revocare sategit. Ait enim „ Quia . . . an-
„ te omnia pestilens mater Superbia, ejusque crudelissimæ
„ filiæ, invidia scilicet, & inanis gloria, passim obstina-
„ ta rabie Corpus Christi moliuntur eviscerare, & dilace-
„ rare; non efficiamur inanis gloriæ cupidi invicem provo-
„ cantes, invicem invidentes; ne, quod avertat Deus,
„ contingat nobis dictum Apostoli (Galat. 5.) „ Quod si
„ invicem mordetis, videte ne ab invicem consumamini „:
„ Et illud Jacobi (Jacob. 3.) „ Quod si zelum amarum ha-
„ betis, & contentiones sint in vobis, nolite gloriari, &
„ mendaces esse adversus veritatem. Non est ista sapientia
„ desursum descendens, sed terrena, animalis, diaboli-
„ ca. Quæ autem desursum est sapientia, primo quidem
„ pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, amans
„ bonum, sine simulatione „. Has itaque duas, & valde
„ sibi contrarias sapientias vigili mente discernite, & si
„ Petrus singulariter figura Summi Capitis nostri, Vica-
„ riusque ejus, ac sui Successores jam in terris retinent
„ specialem Dignitatem terreni, Cœlestisque Regni, noli-
„ te invidere, vel detrahere Romanæ Ecclesiæ Apici, quem
„ per charitatem totum valetis adipisci, & in nobis regna-
„ re & ipsi : Sin alias, audietis quod supra (1. Corint. 4.) „
„ Jam saturati estis, jam divites facti estis : sine nobis re-
„ gnatis; atque utinam regnaretis, ut & nos vobiscum
„ regnaremus „. Sanctissimi hujus, & æque doctissimi Pontificis spiritui charitatis, & verbis audemus nos humiles conjungere cor, & vocem nostram, unde ad eos, cum quibus loquimur, sequentia adhuc verba ex eadem Epistola dirigimus (Cap. ult.) „ Psalmista canit : „ Pax multa di-
„ ligentibus legem tuam, Domine, & non est illis scan-
„ dalum „ Quod vero charitas, & unitas fratrum ipsa sit
„ lex Dei, ostendit illud Evangelii (Joan. 13.) : „ Hoc est
„ præceptum meum, ut diligatis invicem „ Quam nos sin-
„ ceram hic conservare, & in futuro sine fine ipsam, quæ

„ Deus est, perspicere, qui vult omnes homines salvos „ fieri, & ad agnitionem veritatis venire, dignetur conce- „ dere. Amen„

X. (*Ad Neotericos Sectarios convertitur oratio*). Hucusque de Græcis, Ruthenisque Dissidentibus, qui multa falsa crimina nobis objiciunt ad depellendam ab se culpam discessionis a Catholica Ecclesia. Ipsorum autem vestigia calcant etiam Neoterici Sectarii, ut aliquas excusationes prætexant separationis a fide orthodoxa, quam professi sunt Patres eorum. Repetere hic nobis liceat, quæ supra monuimus loquentes cum illis scilicet, non pati instituti nostri rationem, quæ intra brevitatis cancellos consulto sese continere omni conatu studet, ut omnia S. M. Catholicæ Romanæ Ecclesiæ dogmata omni genere probationum asseramus, erroresque omnes Novatorum repellamus, maxime quum multi clarissimi Viri ex nostratibus id effecerint præstantissime. Qua de re aliqua tantum vel breviter præstingere, implorato præsidio Divino, procurabimus ad detegendos, extirpandosque nævos, quos in professione fidei Catholicæ Romanæ se videre putant, seu affectant Dissidentes isti; nec non & ad propulsandum eam invidiam, quam eidem Ecclesiæ facere nituntur. Multa ea sunt equidem, quæ ingeminant, ut obruant nos, conjuncta conviciis, ac etiam spretu, prout assolent qui alios a veritate student abalienare. Verum nec Adversariorum copiam Veritas Divina timet, quæ Verbo Dei innititur; nec veritatis Assertores a malo vinci debent, sed vincere in bono malum, unde in mansuetudine animi dicere propositum nobis est, ut SSmæ Matris nostræ innocentiam, justitiam, decus ab impetu vindicemus, unaque Dissidentium & intellectui sapientiam, & voluntati Dei timorem ad eorum salutem æternam proponamus.

XI. (*Calumnia est dicere, quod Ecclesia Catholica tyrannice in intellectum humanum, & fidem nostram velit dominari*). Ac primum, quoniam Adversariorum, qui Ecclesiæ Sanctæ Dei nec doctrinam audire, nec mandatis obedire volunt, interest maxime, ut ejus sanctitatem pessundent, eique detrahant honorem, ideo penes indoctos populos, incertumque vulgus spargunt illi, Ecclesiam Catholicam in humanum intellectum, & in fidem nostram, veluti tyranni-

ce, dominari velle cum dogmata definit, sacramque doctrinam tradit. Sed quantum à justitia absit accusatio perspicuum est omnibus, qui sacræ scientiæ calleant vel ipsa principia; Enim vero thelogica fides innititur Divinæ, & Primæ veritati, & divinitus revelatis assentitur, nec sibi ipsi credit, nec a se cudit quid credat; nec proprium ejus objectum sunt ea, quæ humana mens invenit, sed Deus ipse, & alia multa, quæ habent aliquem ordinem ad Deum, quæque Deus ipse revelare dignatus est. (*Ecclesia Catholica nonnisi revelationem fidelibus proponit*). Ecclesia igitur Catholica humanas excogitationes, & adinventiones non proponit ad credendum, imo diligentissime custodiens depositum, quod sibi a Christo Domino traditum est, Divinam tradit veracissime revelationem fidelibus; quod adeo certum est, ut nullus ex pene innumeris hæreticorum legionibus, qui e schola iniquitatis prodierunt a primo ævo usque ad sæculum decimum sextum, nempe ad exortum modernarum hæresum, usquam Catholicæ Ecclesiæ crimen sacrilegæ immissionis, & suppositionis credendorum, & tyrannidis in intellectum, & fidem filiorum suorum objecerit. Quomodo nam dici poterit ab aliquo, aut excogitari, Ecclesiam tyrannice imperare, cum constet, eam nonnisi Divinam fidem docere suos, scilicet, quod acceptum, non quod inventum, quod traditum, non autem quod a se immissum, non verbum hominum, sed verbum Dei, ideoque eam fidem, quam habere, & incorruptam servare adeo fidelibus est necessarium, ut sine ea impossibile sit placere Deo, & ad æternæ salutis portum pervenire? Idipsum declaravit *Sacrosancta Tridentina Synodus*, quæ *Sess.* 3. ad extirpandas hæreses scutum Divinæ fidei sumendum esse declaravit cum gladio spiritus, quod est Verbum Dei, & Symbolum fidei proponendum esse censuit. Ait enim (ibid.) „ Magnitudi-
„ nem rerum tractandarum considerans, præsertim earum,
„ quæ duobus illis capitibus, de extirpandis hæresibus, &
„ moribus reformandis continentur . . . . agnoscens autem
„ cum Apostolo, non esse sibi colluctationem adversus car-
„ nem, & sanguinem, sed adversus spiritales nequitias in
„ cælestibus, cum eodem omnes, & singulos in primis
„ hortatur, ut confortentur in Domino, & in potentia

„ virtutis ejus in omnibus sumentes scutum fidei, in quo „ possint omnia tela nequissimi ignea extinguere, atque „ galeam salutis accipiant cum gladio spiritus, quod est „ Verbum Dei. Itaque ut hæc pia ejus sollicitudo princi„ pium, & progressum suum per Dei gratiam habeat, an„ te omnia statuit, & decernit, præmittendam esse con„ fessionem fidei, Patrum exempla in hoc secuta, qui sa„ cratioribus Conciliis hoc scutum contra omnes hæreses in „ principio suarum actionum apponere consuevére; quo so„ lo aliquando & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos „ expugnarunt, & fideles confirmarunt. Quare Symbolum „ fidei, quo S. Romana Ecclesia utitur, tamquam princi„ pium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profiten„ tur, necessario conveniunt; ac fundamentum firmum, „ & unicum, contra quod portæ inferi numquam prævale„ bunt, totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legi„ tur, exprimendum esse censuit „. Verbum ne in toto contextu sermonis hujus, quod vel umbram afferat proprii sensus, aut inventi in credendis; vel tyrannidem circa fidem redoleat? Apposite ad rem nostram prosequitur Synodus consilia sua sanctissima manifestans (Sess. 4.) „ Hoc sibi (ait) perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis er„ roribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, „ quod promissum ante per Prophetas in Scripturis sanctis „ Dominus N. J. C. Dei Filius proprio ore primum promul„ gavit, deinde per suos Apostolos, tamquam fontem om„ nis, & salutaris veritatis, & morum disciplinæ, omni crea„ turæ prædicari jussit; perspiciensque hanc veritatem, & „ disciplinam contineri in Libris scriptis, & sine scripto „ traditionibus, quæ ab ipsius Christi ore ab Apostolis „ acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, „ quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, or„ thodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam „ veteris, quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus „ sit auctor, nec non traditiones ipsas tum ad fidem, tum „ ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Christo, „ vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in „ Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac „ reverentia suscipit, ac veneratur „. Vides, quod Eccle-

sia Catholica filiis suis tradit quod accepit, non quod excogitavit, rem non ingenii, sed doctrinæ, ideoque non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis? Tyrannidem ne exercet in intellectum, & fidem suorum hæc agens Ecclesia; aut proprio arbitratu dominatur in subditos? Imo ex opposito Divini Redemptoris præceptum servat, qui Apostolis, & in Apostolis Ecclesiæ ipsi jussit, ut omnibus gentibus verba salutis prædicarent: „ Euntes . . (ait Christus Matt. 28. 19. 20.) docete omnes gentes . . . Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. „ His jussis Ecclesia obtemperans docet; his promissis freta non timet, certissime sciens semper usque ad finem, qui sæculorum erit finis, Christum sibi adfuturum, itaut nec errare, nec alios in errorem possit inducere. (*J. C. jussit, ut audiremus Ecclesiam*) Cum autem Dominus Jesus audire Ecclesiam fideles velit, anathemate in contumaces lato „ Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus „ (Matt. 18. 17.); sequitur a Christo ipso præceptum nobis datum fuisse, ut Ecclesiæ definitiones, & doctrinam docili animo, & obsequente intellectus captivitate amplecteremur, accipientes ab ea Verbum auditus Dei, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei (1. Thessal. 2. 13.). Patet hinc neque Ecclesiam rapina appetere magisterium cum auctoritate dum credenda proponit; nec fideles vilitate quadam animi dejici cum propositis ab Ecclesia dogmatibus credunt. Prophani enim sunt quidam ex Dissidentibus, aliique ex damnato, damnabilique grege modernorum philosophantium, qui (cujus suasu nescimus, sed forte cacodæmonis) ad simplicium, & idiotarum aures cachinnos, ut assolent, etiam miscentes, insussurare non cessant, infirmi animi signum esse, Ecclesiæ scita, Canonesque de fide suscipere, eique credere docenti, ut tali pacto Virorum fortium, virtutisque sublimis apud illos sibi nomen acquirant, decipiantque miseros. Ast, dicant nobis: An Christus debiles animo fecit, voluitque esse credentes, cum in Evangelio ait „ Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus? „ Horrendum, atque blasphemum! (*Prætensi*

Reformati agnoverunt, religioni exitiale esse, quod unusquisque sibi ipsi dictet fidem suam). Hoc loco autem præterire non possumus ea, quæ gesta sunt aliquando penes eos, qui se-Reformatos-dicunt, sed non sunt. Professi sunt olim apertissime ii, qui ab aliis segregati-Independentes-vocantur, unumquemque ex fidelibus suæ conscientiæ ductum sequi debere (quod nil aliud est, quam esse sapientem apud semetipsum), nec debere judicio, auctoritatique Societatis alicujus, seu Cœtus Ecclesiastici sese submittere. Damnandam hanc censuit doctrinam Synodus Reformatorum Charentonii habita anno 1644. inquiens, independentium Sectam „ præjudi-
„ cialem æque esse Principatui polytico, & Ecclesiæ; cui-
„ cumque pravitati, ac novitati aditum aperire; omnem
„ medendi modum auferre; eaque admissa totidem posse
„ Religiones multiplicari quot sunt singulares Parrochiæ,
„ vel Cœtus hominum „: Eamdemque sententiam expressit Lutherus (Tom. 7. Edit. Wittemb. p.373.). Igitur juxta hujus Synodi, ac Lutheri mentem necessarium omnino est ad salutem, quoad credenda non inniti sapientiæ nostræ, sed audire verbum Evangelii, & credere: Verum a quo audiendum est? Certissime non ab alio, quam ab Ecclesia Catholica, cum qua, ut non semel ssseruimus (Viden. Append. II., & alibi) Christus jugiter erit usque ad consummationem sæculi; & cui Dominus Ipse promisit Spiritum Sanctum se esse daturum dum Apostolis loquens ait „ Paraclitus au-
„ tem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo,
„ ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæ-
„ cumque dixero vobis „ (Joann.14.26.): Et iterum „ Cum
„ autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem
„ veritatem „ (Joan. 16. 13.): Quæ promissa Apostolis, & Ecclesiæ ab ipsis propagandæ, & proprio sanguine rigandæ facta fuisse nec Novatores Dissidentes negant. Non igitur more tyrannorum agit Ecclesia dum filios suos verba Dei docet, præcipitque, ut intellectum captivent in obsequium fidei. Hæc veritatis fidei Divinæ vis est, ut Adversarii ipsi nostri damnando Independentes Apologiam texuerint Catholicæ Ecclesiæ, cui uni dicere fas est „ Visum est Spiritui S., & nobis „.

XII. (*Falluntur, & fallunt Neoterici Dissidentes cum dicunt, Ecclesiam Catholicam dogmatibus suis detrahere meri-*

tis D. N. J. C., aut Divinæ Majestati injuriam irrogare; insuperque in legibus suis tyrannidem agere). Ad hæc, neoterici Dissidentes asserunt, ac venditant, Catholicos injurios esse in Domini N. J. C. Redemptionem, merita, & Sacrificium, quo in Ara Crucis obtulit seipsum Patri in holocaustum, & odorem suavitatis: Nempe, detrahere Ecclesiam dicunt Christo ipsi, & gratiæ Divinæ, dum doctrinam Catholicam tradit *de merito justorum; de justificatione impii; de pænitentia, & satisfactione pro peccatis; de incruento sacrosancto Missæ Sacrificio*; ac Divinæ Majestati injuriam irrogare doctrina sua, *de invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum*, & *de Sacris Imaginibus*; ac denique in legibus suis *de Cœlibatu servando a Majoribus Clericis, & a Sacerdotibus Latinis*; itidemque *de observandis jejuniis* tyrannidem agere. At vero prudenter, & profunde est observandum, objecta eorum in Catholicam Ecclesiam nil aliud esse, quam consectaria, quæ ipsi (certe non ad rem, nec ex intimis rerum visceribus) ex Catholica doctrina trahere procurant veluti per vim, & a longe per verborum circuitum; non autem ex ipsismet dogmatibus ab Ecclesia traditis necessario fluunt, quod unusquisque intelligit, qui eadem dogmata consideraverit, insimulque animadverterit, Catholicam Ecclesiam damnare errores, quos ei Dissidentes imputant, dum non vult injuriam Christo, ac Deo irrogari, vetatque tyrannidem, ut mox mox videbimus. Justius, humaniusque ratiocinatus est Dallæus (Daille) ex doctioribus inter Reformatos Ministris, dum de SSma Eucharistia agens (Epist. ad D. Monglat) inquit: „ Quamvis Lutheranorum opinio de Eucha-
„ stia nostra sententia destruat, quemadmodum etiam Ro-
„ mæ opinio, humanitatem Christi, nihilominus consecta-
„ rium hoc ipsis attribui nequit absque calumnia, ipsi enim
„ met illud reipsa damnant „ Injustum est ergo, sacrilegum, & inane S. Matrem Ecclesiam objectis iis consectariis, quæ cum Catholica doctrina fœdus, societatemque non habent, ita sugillare ac si in hæreses ipsa lapsa fuerit, & filios suos in hæreses præcipites agat.

1. (*Ecclesia Catholica dum merita justorum asserit, una simul Domini N. J. C. infinita merita statuit*). Sane ut de *merito justorum* nonnihil dicamus, audiant Adversarii nostri verba sacrosancti Concilii Tridentini, ex quibus cognoscere

quisque potest, quod Catholica Ecclesia verbi Dei claritate illustrata, dum merita justorum asserit, una simul Domini N. J. C. infinita merita statuit: Ait enim (Sess. 6. cap. 16.) „ Hac igitur ratione justificatis hominibus, sive acceptam „ gratiam perpetuo conservarint, sive amissam recuperave- „ rint, proponenda sunt Apostoli verba: „ Abundate in „ omni opere bono, scientes, quod labor vester non est „ inanis in Domino. Non enim injustus est Deus, ut obli- „ viscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in „ nomine ipsius „. Et: „ Nolite amittere confidentiam ve- „ stram, quæ magnam habet remunerationem „ atque ideo „ bene operantibus usque in finem, & in Deo speranti- „ bus proponenda est vita æterna, & tamquam gratia fi- „ liis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & „ tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum „ operibus, & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa „ corona justitiæ, quam post suum certamen, & cursum „ repositam sibi esse ajebat Apostolus, a justo Judice sibi „ reddendam, non solum autem sibi, sed & omnibus, qui „ diligunt adventum ejus. Cum enim ille ipse Christus Je- „ sus tamquam Caput in membra, & tamquam vitis in pal- „ mites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ „ virtus bona eorum opera semper antecedit, comitatur, & „ subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & me- „ ritoria esse possent; nihil ipsis justificatis amplius deesse „ credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quæ „ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satis- „ fecisse, & vitam æternam suo tempore, si tamen in gra- „ tia decesserint, consequendam vere promeruisse censean- „ tur, cum Christus Salvator noster dicat: Si quis biberit „ ex aqua, quam ego dabo eis, non sitiet in æternum, sed „ fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Itaque „ neque propria nostra justitia tamquam ex nobis propria „ statuitur, neque ignoratur, aut repudiatur justitia Dei. „ Quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis in- „ hærentem justificamur, illa eadem Dei est, quia a Deo „ nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud „ omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris Litte- „ ris usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis

„ mis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus, „ eum non esse sua mercede cariturum; & Apostolus testetur, id, quod in præsenti est momentaneum, & leve „ tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis; absit tamen, ut „ Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, & „ non in Domino: cujus tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. „ Et quia in multis offendimus omnes, unusquisque sicut „ misericordiam, & bonitatem, ita severitatem, & judicium ante oculos habere debet, neque seipsum aliquis, „ etiamsi nihil sibi conscius fuerit, judicare: quoniam „ omnis hominum vita non humano judicio examinanda, & „ judicanda est, sed Dei: qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium; & tunc laus „ erit unicuique a Deo, qui, ut scriptum est, reddet unicuique secundum opera sua „ Viden. etiam *Sess.* 14. *de Pœnit. c.* 8. (*Gratia Christi necessaria est ad merendum*). Præiverat Conc. Araxicanum II. Can. 18. dicens: „ Debetur merces bonis operibus si fiant: sed gratia, quæ non debetur, „ præcedit ut fiant „. Igitur secundum Ecclesiæ Catholicæ Romanæ doctrinam merita justorum, Christi merita non destruunt, eisque non derogant, quinimo mire prædicant, & exaltant; nam si quanto virtus aliqua ad plura se extendit, tanto nobilior est; quam magna, excellentia, sublimia existimanda sunt, & prædicanda Divini Redemptoris merita, quæ omnium justorum, qui fuerunt, sunt, ac erunt in sæcula, bonis operibus in Deo factis vim, & efficaciam tribuunt merendi vitam æternam? Certissime; infinitæ virtutis ea esse dici oportet. Catholica dogmata fideliter tenens S. Thomas 2. 2. qu. 8. art. 4. corp. traditionem de gratia Dei, quæ hominibus necessaria est, more suo doctrissime exponit, inquiens „ In omnibus habentibus gratiam necesse est „ esse rectitudinem voluntatis; quia per gratiam præparatur „ voluntas hominis ad bonum, ut Augustinus dicit (lib. 1. „ Retract. circ. fin., & Lib. De Prædest. SS. cap. 1.). Voluntas autem non potest recte ordinari in bonum nisi præexistente aliqua cognitione veritatis, quia objectum voluntatis est bonum intellectum . . . . sicut autem per donum

„ charitatis Spiritus Sanctus ordinat voluntatem hominis, „ ut directe moveatur in bonum quoddam supernaturale, „ ita etiam per donum intellectus illustrat mentem hominis, „ ut cognoscat veritatem quamdam supernaturalem, in quam „ oportet tendere voluntatem rectam „. Hinc est, quod Catholici necessitatem gratiæ etiam in justis ad illustrandum intellectum, ad præparandam, & movendam voluntatem in bonum vitæ æternæ meritorium ita adstruunt, ut dicant, & verissime; Deum dum coronat merita nostra, coronare munera sua. Tenet insuper Ecclesia Catholica Romana, dari gratiam justis ad singulos meritorios actus, quibus æterna merces ab Altissimo datur; nempe „ gratiam Dei per „ Jesum Christum non solum ad cognoscendam, verum „ etiam ad faciendam justitiam nos per actus singulos ad„ juvare; itaut sine illa nihil veræ, sanctæque pietatis ha„ bere, cogitare, dicere, agere valeamus „ (Constit. 214. Episc. relat. a S. Prospero Resp. 8. ad cap. Gallor.): Hoc idem expressis verbis (Epist. ad Episc. Galliæ c. 8.) scripsit S. Cælestinus PP.: „ Ut boni aliquid agant (justi) paternis „ inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium. Quot„ quot enim Spiritu Dei aguntur, ii filii Dei sunt, ut nec „ nostrum deesse sentiamus arbitrium, & in bonis quibus„ que voluntatis humanæ singulis motibus magis illius vale„ re non dubitemus auxilium „ (*Ecclesia ipsa postulat a Deo gratiam Salvatoris ad salutem*). Hoc sæpissime a Deo postulat Ecclesia ipsa: „ Da populis tuis (Domine) id ama„ re quod præcipis, id desiderare quod promittis (Dom. 4. „ post Pasch.): Deus, à quo bona cuncta procedunt, lar„ gire supplicibus tuis, ut cogitemus te inspirante quæ re„ cta sunt, & te gubernante eadem faciamus. Per Domi„ num Nostrum J. C. Filium tuum &c. „ (Dom. 5. post „ Pasch.): Videantur etiam Oratio Dom. 1. post Pentec. „ & „ aliæ complures „; Sciunt autem omnes, in Orationibus Catholicæ Ecclesiæ doctrinam fidei contineri, unde veluti axioma penes majores nostros invaluit a sæculis, quod legem credendi ratio præbeat supplicandi. (*Necessitatem istius gratiæ docuit nos Dominus N. J. C.*). Sed & hoc ipsum docuit Christus Jesus (Joan. 15. 5. 6.) cum ait „ Ego sum „ vitis vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic

„ fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.
„ Siquis in me non manserit mittetur foras sicut palmes &c.„
Quemadmodum igitur palmes eadem virtute, quæ est in vite, fructum profert, ita & justi, qui palmites sunt Vitis Christi, virtute ejus multum fructum afferunt si in vite ista maneant, quia in Christo manent, & Christus in eis; fructum nempe meritorum vitæ æternæ, quoniam meritis suis, Passione, Sanguine, morte pretiosissima æternam gloriam meruit etiam pro nobis Christus apud Patrem: Et sicuti palmites sine vite, & a vite præcisi nullum dant fructum, ita nec nos dare possumus si in Christo non maneamus, quia sine eo nihil facere possumus. Relata verba Christi apud S. Joannem exponens S. Augustinus (Tract. 81. in Joan. sub med.) inquit: „ Ne quisquam putaret saltem „ parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem „ ferre, cum dixisset: Hic fert fructum multum „ non „ ait: Quia sine me parum potestis facere; sed, *nihil* „ *potestis facere*. Sive ergo parum, sive multum, si„ ne illo fieri non potest sine quo nihil fieri potest: „ quia etsi parum attulerit palmes, eum purgat Agrico„ la, ut plus afferat. Tamen nisi in vite manserit, & „ vixerit de radice, quantumlibet fructum a semetipso „ non potest ferre.... Verum quia ita sine ista gratia „ non potest vivi, ut & mors in potestate sit liberi arbi„ trii. *Si quis in me*, inquit, *non manserit*, *mittetur fo*„ *ras sicut palmes*, *& arescet*, *& colligent eum*, *& in ignem* „ *mittent*, *& ardet*„. Concinit Doctor gentium: „ Non „ ego autem, sed gratia Dei mecum„ (1. Cor.15. 10.). Quæ omnia verissime statuunt Catholicæ Romanæ Ecclesiæ sensum de gloria Dei; de meritis D. N. J. C.; de meritis operum bonorum, quæ justi agunt; de mira compositione gratiæ cum libero arbitrio a gratia Christi adjuto, confortato, corroborato, gratiæ ipsi cooperante, & agente cum gratia, ut satis ex verbis Christi, atque Apostoli Pauli, ex S. Augustino, ex Epistola S. Cælestini, sacrique Concilii Tridentini doctrina fit manifestum. Usque adeo vero splendida est veritatis lux, ut Adversariorum etiam oculos perculerit, qui propterea ei manifeste contradicere non sunt ausi. Siquidem Confessio Augustana ait, quod „ nova obe-

„ dientia reputatur justitia, & meretur mercedes „; expressiusque „ quod licet valde a perfectione legis remota „ (obedientia), justitia est, ac præmia meretur „ & paullo post, quod „ opera bona magnis laudibus digna sunt, „ necessaria sunt, & merentur remunerationes „; exponens deinde locum Evangelii (Matt. 13. 12.) „ *Qui enim habet dabitur ei* „ laudat S. Augustini sententiam, quod charitatis exercitium meretur charitatis augumentum, unde concludit, quod justi censeant, opera vere bona & Deo placita esse, & præmia mereri; sicuti videre est *in Confess. August. Edit. Genevæ*, qua publici juris iterum facta est Editio Wittembergensis typis data sub oculis Lutheri, & Melanctonis (Syntagm. Confess. art. 6. p. 12. & pag. 20. cap. de bon. oper., pag. 21. & 22.); eademque scripsere Lutherus Comment. in Epist. ad Galat. To. 5. p. 243. edit. Wittemb. an. 1553., & Melanct. Apolog. Confess. August. ar. 4. 5. 6. 20. Resp. ad Object., Concord. p. 96. Scimus equidem, Melanctonem cum de præmiis operum bonorum loqueretur de aliis præmiis unice loqui voluisse, nempe de corporalibus, & spiritualibus in hac vita, & in futura a Deo concedendis, una excepta vita æterna; in quo tamen erravit multum, cum ex Divinæ Scripturæ locis allatis a Sac. Concilio Tridentino, cujus verba retulimus, constet, bonis justorum operibus ex gratia factis deberi vitam æternam quod adhuc probant verba Christi (Matt. 5. 12.) „ Merces „ vestra copiosa est in Cælis „ declaravitque S. August. de Grat., & lib. arb. c. 8. „ Si vita bona nostra nihil aliud est, „ quam Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ „ vitæ redditur Dei gratia est: & ipsi enim gratis datur, „ cui gratis data est illa, cui datur. Sed illa, cui datur, „ tantummodo gratia est; hæc autem, quæ illi datur, „ quoniam proprium illius est, gratia est pro gratia, tam„ quam merces pro justitia; ut verum sit, quoniam ve„ rum est, quia reddet unicuique Deus secundum opera „ ejus „: Quibus profundissime more suo exponit Augustinus & gratiam Christi, & merita justorum ex gratia, & cum gratia Christi; quæ proinde justorum merita nullam Christi meritis irrogant injuriam. Ast Melancton cum suis dicant nobis: quæ nam sunt retributiones, præter vitam

æternam, quæ debentur bonis operibus in hoc sæculo, & in futuro; corporalia, an vero spiritualia? Si deliciæ terrenæ, quibus animus cum lætitia, & gaudio fruatur, hæc præmia sunt, quæ Mahometus promisit suis, quæque isti, ut sues, qui se volutant in volutabro luti,inhiant in præsenti vita, expectantque in futura. Si autem hæc præmia cælestia sunt, Deo digna, & servis suis non dedecora, hæc omnia Christus humilitate, laboribus, passione sua meruit, cum de Eo scriptum sit, quod „ In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter „ (Coloss. 2. 9.), quod plenus sit „ gratiæ, & veritatis „ (Joan. 1. 14.). Ad hæc si merces, quam Catholica Romana Ecclesia docet, dari a Deo bonis operibus justorum, quæ in Deo ipso facta sunt, derogat Christi meritis; cur non eamdem injuriam Christo faciunt merita a Melanctone adinventa? Quare ergo Dissidentes nos unice exagitant; Melanctonem vero, & ejus asseclas non æque sugillant?

2. (*Catholici Romani nullo modo tenent justificationem ex meritis, & justitia dari*). Hæc de meritis operum bonorum: Verum Melancton (ibidem) falso objicit Catholicis Romanis, quod dum merita hominis asserunt, velint etiam *justificationem* ex justitia dari: Hoc enim nil aliud, quam calumniam redolet, nisi potius de ignorantia sit ille redarguendus, quoniam Sac. Tridentina Synodus profitetur, & docet, quod „ necessarium sit credere, neque re-„ mitti, neque remissa umquam fuisse peccata nisi gratis „ divina misericordia propter Christum „ (Sess.6. cap.9.); quodque „ gratis. . . justificari ideo dicamur, quia nihil eo-„ rum, quæ justificationem præcedunt sive fides, sive „ opera, ipsam justificationis gratiam promeretur. Si enim „ gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ut idem „ Apostolus inquit, gratia jam non est gratia „ (ibidem cap.8.); & Can. 3. anathemate percellit aliter sentientes: „ Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspi-„ ratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, spera-„ re, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei ju-„ stificationis gratia conferatur. Anathema sit „. (*Ipsa Ecclesia Catholica Deum orat pro remissione peccatorum*). Qua de re Ecclesia Catholica Romana Divini Spiritus lumi-

ne profusa jugiter, & ditata cælesti sapientia orat Deum suum non semel, nec bis, pro remissione peccatorum, ex cujus Orationibus pauca seligimus; nempe. „ Omnipo-„ tens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul, & „ mortuorum ..... te supplices exoramus, ut pro qui-„ bus effundere preces decrevimus .... pietatis tuæ cle-„ mentia omnium delictorum suorum veniam consequan-„ tur. Per Dominum Nostrum J. C. Filium tuum &c. „ „ Mundet, & muniat nos, quæsumus Domini divini Sa-„ cramenti munus oblatum, & intercedente Beata Virgine „ Dei Genitrice Maria cum ...... omnibus Sanctis: a „ cunctis nos reddat & perseverantibus expiatos, & ad-„ versitatibus absolutos „. Purificent nos, quæsumus om-„ nipotens, & misericors Deus Sacramenta quæ sumpsi-„ mus, & .... præsta, ut hoc tuum Sacramentum „ non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris „ ad veniam, sit ablutio scelerum, sit fortitudo fragilium, „ sit contra omnia mundi pericula firmamentum, sit vi-„ vorum, atque mortuorum fidelium remissio omnium de-„ lictorum. Per D. N. J. C. Filium tuum &c. „ (Dom. I. Quadrag., quæ Orationes sæpe in Quadragesima iterantur). Solemnes hæ sunt confessiones infirmitatis nostræ ante thronum gratiæ coram Angelis, & hominibus, ad laudem gloriæ Passionis, & meritorum Christi Jesu, per quem petimus a Deo, ut nobis dimittat debita nostra, & justificationis gratiam concedat, *intercedentibus*, non autem *concedentibus* B. M. V., & omnibus Sanctis (V. infr. num.5.): Hujusmodi preces, supplicationesque ad Deum apprime iis conformes sunt, quas in Oratione Dominica Ecclesia ipsa cum suis fidelibus quotidie compluries offert ex Christi ipsius instituto de intimo cordis clamans „ Dimitte nobis debita nostra. „ Quæ verba exponens Romanus Catechismus ex Decreto Sac. Conc. Trident. (Part. 4. de 5. „ Petit. c.14. §.1.) ait „ Cum ita multa sint, quæ infinitam „ Dei potentiam cum pari sapientia, ac bonitate conjun-„ ctam significent, ut quocumque oculos, cogitationem-„ que converteris, certissima signa immensæ potestatis, „ ac benignitatis occurrant, nihil profecto est, quod sum-„ mum ejus amorem, & admirabilem in nos charitatem

„ magis declaret, quam inexplicabile mysterium Jesu Christi Passionis: Unde perennis ille fons ad eluendas peccatorum sordes erupit, quo profundi, & expiari, Deo duce, ac largitore, exoptamus, cum illud ab eo petimus „ Dimitte nobis debita nostra „. Doctrina hæc est Catholicæ Romanæ Ecclesiæ (quam publice profitetur, ut unusquisque nullo adhibito labore eam cognoscere valeat) de remissione peccatorum, ac justificatione. Credit enim, & confitetur, quod Jesu Christo „ omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per Nomen ejus omnes, qui credunt in eum „ (Act. 10. 43. & legitur in Liturgia Fer. 2. Pentec.). Tantum abest, ut Ecclesia ipsa Christi meritis aliquid detrahat, quod potius ea vere extollit; dum contra Reformati Dissidentes, qui Divino zelo inflammati affectant videri, adeo Passionem Domini Jesu extenuant, ut nihil solidi, ac veri ab ea operari statuant, & affirment dicentes, justitiam hominis in sola externa non imputatione peccati consistere. (*Justitia hominis non in sola externa non imputatione peccati consistit, sed in vera animæ ablutione, & infusione gratiæ justificantis*). Etenim Catholici tantae efficaciae esse credunt Sanguinis Christi valorem, ut ad animae penetret intima, eamque lavet, & mundet a sordibus quibuscumque, quod Divinae paginae expresse docent: „ Asperges me (ait Regius Psaltes Ps. 50. 9.) Domine hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor „. Quo loco dicitur peccatorum remissio non solum tegere maculam, sed vere abluere, & non solum vere abluere, sed addere nitorem, nec solum tollere nigredinem, sed addere albedinem tam veram, ut nivis candorem superare dicatur. Quid est autem tollere maculam, & addere nitorem, nisi tollere peccatum, & infundere gratiam? Quid auferre nigredinem, & ponere candorem, nisi auferre injustitiam, & donare justitiam? Hoc idem legimus apud Isajam (cap. 1. 16. 18.). „ Lavamini, *mundi estote* . . . . . Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus velut lana alba erunt „: Quæ verba SS. Davidis, & Isajæ veluti manu nos ducunt ad intellectum Psalmi 31. (vers. 1.

2.), qui propterea inscribitur: *Ipsi David Intellectus*, illorum nempe verborum „ Beatus Vir, quorum *remissæ sunt* „ *iniquitates*, & quorum tecta sunt peccata: Beatus Vir, „ cui non imputavit Dominus peccatum, *nec est in spiritu ejus dolus* „; dicit enim David vere remissa a Deo fuisse peccatori peccata sua, ideoque omnino abolita; & eorum loco successisse justitiam; itaut ad eam nos vocavit intelligentiam Propheta sanctus, quod remissio peccati non fiat a Deo sine omnimoda deletione maculæ, quam affert culpa & sine infusione justitiæ, ex qua per justificationis gratiam homines fiant ex impiis non solum non impii, sed etiam vere justi: sicut enim Sol corporalis non expellit tenebras nisi lucem infundat, sic etiam Sol justitiæ, & Pater luminum per Jesu Christi merita non remittit peccata nisi per gratiam, sive justitiam, quam infundit. Quare S. Paulus (Rom. 4. 6.) citans hunc locum Psalmi ait „ sicut & „ David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert „ *justitiam* sine operibus „, tradit nanque Apostolus, in remissione, seu non imputatione peccati vere includi justitiam. *Tegi* igitur peccata in Psalm. 31. idem significat, quod abradi, deleri omnino, adeo ut nihil damnationis ad æternam pœnam justificato peccatori remaneat, sicuti tegi dicimus colorem album cum superinducto nigro albus perit: nec peccata amplius appareant oculis Dei, hoc est, non amplius insint animæ, sed plene remissa sint, nam quæcumque adhuc extant in rerum natura tecta haud sunt in conspectu Dei, cujus oculis omnia nuda, & aperta (Hæbr. 4. 13.). Hoc idem Regius Psaltes luculenter expressit laudato Ps. v. 11. „ Averte faciem tuam a peccatis meis; & omnes iniquitates meas dele „, hoc est, aufer omnes iniquitates meas, munda animam meam a maculis culparum, quibus peccando fœdatus, & deformatus sum; qui enim solam non imputationem peccati justificationem novo invento dicunt, ii certe vim verbis sacrarum Litterarum faciunt, & obvium verborum eorumdem depravant sensum. Doctrina sua igitur omnipotentiam, bonitatem, sapientiam Dei laudat Ecclesia Catholica, & infinitam vim meritorum Christi exaltat, eique gratias agit, & benedicit. Contra illi, qui se Reformatos appellant, dum dicunt justificationem in sola

peccatorum remissione, non in justitiæ infusione consistere, & asserunt hominis justificati justitiam externe tantummodo dari per meram non imputationem peccatorum, ac per externam imputationem meritorum Jesu Christi, illi certe Redemptionem ipsam habent vilissimam. Nam quæ efficacia Passionis Christi, si nihil ad intrinsecam purgationem animi, ad claritatem intrinsecam conferendam posset; & solum valeret ad munditiam, & sanctitatem exteriorem, quæ apud homines splendesceret, sed justum intrinsece, & habitu non redderet hominem apud Deum, quoniam „ homo. . . . . videt ea, quæ parent, Dominus „ autem intuetur cor „ (I. Reg. 16. 7.) ? Sane justitiæ huic exteriori a Reformatis heri excogitatæ numquam aditus pateret in gloriam cælestem nam „ non intrabit in eam ali- „ quod coninquinatum, aut abominationem faciens, & „ mendacium „ (Apocal. 21. 27.); nec ipse Lazarus in sinu Abrahæ requivisset ea Reformatorum exteriori veste justitiæ indutus; de quo tamen testatus est Jesus quod „ factum „ est, ut moreretur mendicus, & portarctur ab Angelis in „ sinum Abrahæ „ (Luc. 16. 22.). Nulli itaque usquam hominum aut eorum, qui fuerunt, aut eorum, qui sunt, & erunt datum fuisse, aut dari posse in posterum dicendum esset ingredi in illam requiem, ad quam invitat Apostolus dicens „ Festinemus ergo ingredi in illam requiem „ (Hæbr. 4. 11.), ne Apostolis quidem, neque Domini Præcursori Joanni Baptistæ, nec aliis quibuscumque insignis sanctitatis viris, aut mulieribus, quoniam „ conclusit Scriptura omnia „ sub peccato esse „ (Gal. 3. 22.) saltem originali; &„ si „ dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos se- „ ducimus, & veritas in nobis non est „ (Epist. I. S. Joan. 1. 8.). Oh durissimam, & crudelem sententiam, ac meritis Divini Salvatoris iniuriosissimam! Ergo numquam videbimus Deum sicuti est? Ergo nihil pro nobis meruit Filius Dei, qui „ humiliavit semetipsum factus obediens usque „ ad mortem, mortem autem Crucis „ (Philip. 2. 8.) & de quo testantur divina eloquia: „ Ipse est propitiatio pro „ peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed „ etiam pro totius mundi? „ (Epist. S. Joan. 1. 2. 2.) ? Ergo Christus gratis mortuus est? Dissidentes igitus isti, qui

omnino auferunt effectum Passionis Christi, & adeo extenuant Redemptionis opus, ut nihil aliud pro nobis operari dicant, & in nobis, nisi solam remissionem culparum per externam non imputationem sine gratiæ, ac justitiæ infusione in Animam, quæ nequit Cæli januas aperire; quo animo argunt Ecclesiam Catholicam, quod meritis Jesu Christi injuriam faciat, quæ tamen nonnisi per Jesum Christum remitti peccata docet, & dari gratiam, veramque intrinsecam concedi justitiam? Nos autem meritissime rejicimus novitatem, quam ipsi effinxerunt, ut non imputari peccatum sit, peccatum quidem hærere in animo peccantis, sed non imputari a Deo, quæ novitas nullo textu Divinæ Scripturæ probari potest, sed apertissime potius a Scriptura improbatur, cum dicat tum aliis in locis, tum Psal. 5. v. 7. „ Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, „ perdes omnes, qui loquuntur mendacium „. Quia si Deus odit, & vult perdere iniquos, certe dum manet in eis iniquitas imputatur eis peccatum; incredibile enim est, Deum justum Judicem, & qui non accipit personas, non imputare peccatum, sed imputare justitiam eo tempore, quo homo adhuc in sordibus peccati est, & quidquid agit ex Lutheranorum placitis peccatum est. Pulchre S. Justinus Martyr, qui sæc. II. Ecclesiæ floruit (scilicet ab anno circiter 142. ad ann. 165., quo Martyrio coronatus est, ac proinde proxime post Apostolorum ætatem) in Dialogo cum Tryphone refellens errorem similem errori Lutheranorum ait „ Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum, „ idest cui pœnitenti Deus peccata remittet, non sicut præ- „ dicatis vosmetipsos fallentes, & alii quidem vestri si- „ miles asseverant, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum „ noverint, non imputabit eis Dominus peccata „. Tandem Doctor Gentium inquit (1. Corinth. 3. 16.) „ Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in „ vobis? . . . . . Templum enim Dei sanctum est, quod „ estis vos „: Numquid templum Dei sanctum ii sunt, in quibus adhuc habitat, & quibus inhæret peccatum? Numquid in istis, qui adhuc peccati servi sunt, & diaboli membra, habitat, aut habitare potest Spiritus Sanctus? Videatur Conc. Trident. Sess. 6. Decret. de Justific. cap. 7.

Quæ certitudo igitur major dari potest certitudine doctrinæ Catholicæ? Sed quis crederet! Ii, qui inter Reformatos primum Auctores fuerunt inventi hujus pessimi adversus dogma, quod Catholici tenent de justificatione impii, hoc ipsum dogma universis populis, & linguis proposuere, ac si princeps esset articulus, ac quasi primus lapis fundamenti schismatis, quo ab Ecclesia sancta recesserunt.

3. (*Satisfactiones nostras pro peccatis esse per Christum Jesum confitetur Catholica Romana Ecclesia*). De satisfactione pro peccatis pauca subnectimus; quoniam ad expellendam calumniam Dissidentium in Catholicam satis sunt ea, quæ præfati sumus de meritis justorum, ac de impii justificatione, quæ etiam ad argumentum satisfactionis pro peccatis commode transferri possunt, congrua congruis referendo. Sacra Tridentina Synodus sess. 14. cap. 8. (De Pœnit. Sacram.) docet „ Dum satisfacendo patimur pro pecca-
„ tis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex
„ quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur;
„ certissimam quoque inde arrham habentes, quod si com-
„ patimur, & glorificabimur. Neque vero ita nostra est
„ satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut
„ non sit per Christum Jesum: nam qui ex nobis, tan-
„ quam ex nobis, nihil possumus; eo cooperante, qui nos
„ confortat, omnia possumus. Ita non habet homo, unde
„ glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est: in
„ quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus:
„ facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim ha-
„ bent; ab illo offeruntur Patri; & per illum acceptantur
„ a Patre „ & cap. 9. „ Docet præterea, tantam esse divinæ
„ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a
„ nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis
„ arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod
„ maximum amoris argumentum est, temporalibus flagel-
„ lis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud
„ Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus „.
(*Oratque Deum pro gratia satisfaciendi pro peccatis prout oportet ad salutem*). Quapropter & pro gratia satisfaciendi pro peccatis, prout oportet ad salutem, orat Ecclesia Patrem, qui in Cælis est „ Da, quæsumus Domine, nostris effectum

„ jejuniis salutarem ; ut castigatio carnis assumpta , ad „ nostrarum vegetationem transeat animarum . Per Dominum N. J. C. &c.„ (Sabbat. infr. hebd. 2. Quadrag.) : „ Fiat, Domine, quæsumus per gratiam tuam fructuosus „ nostræ devotionis affectus , quia tunc nobis proderunt „ suscepta jejunia , si tuæ sint placita pietati . Per D. N. J. „ C. &c. (Sabbat. infr. hebd.4. Quadrag.) „ & alias, non semel .

4. (*Incruentum Missæ Sacrificium , quod in Ecclesia Catholica offertur, non derogat Sacrificio, quod Dominus Jesus obtulit in Ara Crucis*). De incruento SSmo Missæ Sacrificio nunc sermo sit, non equidem pro adeo magni Mysterii dignitate, cui omnino impares sumus ; nec longo tractatu , sed brevi , at certe sufficienti ad sanctitatem fidei Ecclesiæ Catholicæ asserendam . Probant Theologi nostri utriusque Testamenti Paginis , tum & theologicis rationibus , nedum traditione Divina , Apostolicaq., sacram Liturgiam verum esse , & unicum Legis Evangelicæ Sacrificium , in quo Christus Deo Patri offertur a Sacerdotibus Novi Testamenti , & ab ipsis idem Christus sumitur ; vere , ac realiter recolitur memoria Passionis ejus ; mens impletur gratia ; & futuræ gloriæ nobis pignus datur . Quod autem hoc juge Sacrificium nullam injuriam importet , nullumque præjudicium Christo Domino , & cruento Sacrificio, quod in Ara Crucis pro nobis offerre dignatus est , sapientissime Œcumenicum Tridentinum Concilium tradit . Hic autem sinite , Dissidentes in Domino dilecti paullulum me excurrere : (*Exhortatio ad suscipiendam doctrinam Sacri Concilii Tridentini*) . Oh, si verba Tridentinæ Synodi audiretis eo mentis obsequio, eaque animi docilitate , quæ inter cælestis sapientiæ characteres a S. Jacobo Apostolo numeratur, dum in Epistola sua (3. 17.) ait „ Quæ autem desursum est sa- „ pientia, primum quidem pudica est , deinde pacifica , „ modesta, *suadibilis &c.* „ & cui Christus hæreditatis æternæ , quæ terra promissionis , & requies Sanctorum est, promisit præmia „ Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram „ (Matt. 5. 4.) , intelligeretis utique Divino gratiæ auxilio , quam illa sublimia , quam vera , quam fidelia sint verba, Spiritu Sancto per eam Synodum loquente pariter ,

& docente, quod hucusque assequi non potuistis, quia nisi crederetis non intelligetis „ (Is. 7. 9. secundum LXX.) ; nec contra illam jaceretis convincia, & calumnias. Nunc autem ad nos redeuntes, Concilium hoc Sess.22. (Doctr. de Sacrif.Missæ cap.1.) „ Sacrosancta (ait) „ Œcumenica, & generalis Tridentina Synodus . . . . . . „ ut vetus, absoluta, atque omni ex parte perfecta de magno „ Eucharistiæ mysterio in Sancta Catholica Ecclesia fides, „ atque doctrina retineatur; & in sua puritate, propulsatis erroribus, atque hæresibus, conservetur; de ea, „ quatenus verum, & singulare Sacrificium est, Spiritus „ Sancti illustratione edocta, hæc . . . . docet . . . . . . „ (Cap.5.). Quoniam sub priori testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem „ consummatio non erat; oportuit, Deo, Patre misericordiarum, ita ordinante, Sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, Dominum N. J. C., qui „ posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus Noster etsi semel seipsum in Ara Crucis, morte „ intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic „ redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat; in Cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut suæ dilectæ Sponsæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem „ usque sæculi permaneret; atque illius salutaris virtus in „ remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; Sacerdotem secundum Ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, „ & vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes „ constituebat, ut sumerent tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerent, præcepit, „ per hæc verba „ Hoc facite in meam commemorationem „; „ uti semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit. Nam „ celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitus de „ Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum insti-

„ tuit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis „ visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex „ hoc mundo ad Patrem, quando per sui Sanguinis effu„ sionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, „ & in regnum suum transtulit, & hæc quidem munda est „ oblatio, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium „ inquinari potest; quam Dominus per Malachiam Nomini „ suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni „ loco mundam offerendam prædixit: quam non obscure in„ nuit Apostolus Paulus, Corinthiis scribens, cum dicit: „ Non posse eos, qui participatione mensæ Dæmoniorum „ polluti sunt, mensæ Domini participes fieri: per men„ sam Altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, „ quæ per varias Sacrificiorum naturæ, & legis tempore „ similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia, per „ illa significata, velut eorum omnium consummatio, & „ perfectio complectitur (Cap.II.). Et quoniam in divino „ hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Chri„ stus continetur, & incruente immolatur, qui in Ara „ Crucis semel seipsum cruente obtulit; docet S. Synodus, „ Sacrificium istud vere propitiatorium esse . . . . „ Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam, & „ donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata, etiam „ ingentia dimittit. Una enim, eademque est hostia, „ idemque nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seip„ sum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diver„ sa. Cujus quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus „ per hanc incruentam uberrime percipiuntur: tantum „ abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur &c.: Et, „ Can. 4. „ Si quis dixerit, blasphemiam irrogari Sanctis„ simi Christi Sacrificio in Cruce peracto per Missæ Sa„ crificium; aut illi per hoc derogari; Anathema sit„. (*Explicatur textus Apostoli Pauli ad Hæbr.* 10.v.1. 12. 14.) Sane Christus Dominus in Altari Crucis per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo Patri, & per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta; „ Umbram enim ha„ bens lex (ait Paulus Apostolus) futurorum bonorum, „ non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem „ ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam po-

„ test accedentes perfectos facere . . . . Hic antem (Christus) unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum „ sedet in dextera Dei . . . Una enim oblatione consum- „ mavit in sempiternum santificatos „ (Hæbr. 10. 1. 12. 14.) Hoc itaque illud est cruentum Sacrificium , quod semel tantum obtulit Jesus æterna redemptione inventa , consummando sanctificationem nostram *quoad valorem pretii* , itaut pro hominum redemptione nullum aliud pretium superesset solvendum : Hæc illa munda oblatio , quæ , tam ante , quam post latam legem variis Sacrificiorum generibus prænunciata , umbram legis expulit veritatis afferens gratiam , & omnium earum victimarum vim , ac bona quæcumque tamquam omnium perfectio , & absolutio complexa est , longissimeq. superavit ; perfectos faciens , quod non poterat lex ; ac proinde una latreuticum , eucharisticum , impetratorium , satisfactorium Sacrificium . En Apostoli Pauli memoratis Epistolæ ad Hæbreos verbis contenta sententia . Nusquam enim voluit Apostolus , Christum Sacrificio Crucis consummasse in æternum Sanctificatos *quoad pretii* , *quod solvit* , *applicationem* , nam si hoc voluisset , non dixisset utique (ibid. cap. 9. v. 24.) „ Non enim in manufacta sancta Je- „ sus introivit exemplaria verorum : sed in ipsum Cœlum , „ ut appareat nunc vultui Dei pro nobis „ , quoniam inane esset , atque superfluum , Christum nunc in Cœlis offerre pro nobis mortem , quam pertulit in Cruce ; & frustra præcepisset nobis Jesus , ut peccatorum veniam hac instituta a se ipso oratione peteremus „ Dimitte nobis debita nostra „ si in Cruce lytrum solutum *applicando* redemptis hac etiam ratione consummasset in æternum sanctificatos . Necesse ergo est applicari nobis merita Christi , & redemptionem in Sanguine ejus pretiosissimo , quem in Cruce fudit , itaut nostrum fiat pretium solutum . Quæ applicatio dari aliter nequit , quam per media ab ipso Domino instituta , quorum primum , atque præcipuum est sacratissima Liturgia . (*Christus Sacerdos est in æternum secundum Ordinem Melchisedech*) Et certe in Sacerdote Melchisedech hujus Sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum scimus , secundum quod Divina Scriptura testatur , & dicit (Genes. 14. 18.) „ At vero Melchisedech rex Salem , proferens panem , &

„ vinum , erat enim Sacerdos Dei Altissimi benedixit ei „ (nempe Abraham) ; quod autem Melchisedech Sacerdos vere esset Altissimi , & Sacerdotii sui ratione typum Christi portaret , declarat Spiritus Sanctus in Psalmis ex Persona Patris ad Filium dicens (Psal. 109. 3. 4.) „ Ex utero ante „ luciferum genui te . Juravit Dominus , & non pœnitebit „ eum : Tu es Sacerdos in æternum secundum Ordinem „ Melchisedech „ , ac Paulus de Jesu Christo loquens (Hæb. 7. 11.) necessarium fuisse ait , secundum Ordinem Melchisedech Christum Sacerdotem surgere : „ Qui Ordo „ (ait S. Cyprianus Epist. 3. lib. 2. Cæcilio data edit. Lug- „ dun. an. 1537.) utique hic est , de sacrificio illo veniens , „ & inde descendens , quod Melchisedech Sacerdos Dei „ Summi fuit , quod panem , & vinum obtulit , quod „ Abraham benedixit . Nam qui magis Sacerdos Dei Sum- „ mi , quam Dominus N. J. C. , qui Sacrificium Deo Patri „ obtulit ? Et obtulit hoc idem , quod Melchisedech obtu- „ lerat , id est panem ; & vinum , suum scilicet Corpus , „ & Sanguinem „ . Ipse denique Salvator Sacerdotem secundum Ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans Corpus , & Sanguinem suum in extrema Cœna sub speciebus panis , & vini Deo Patri obtulit . (*Unde necesse est , ut jugiter in æteruum sub visibilibus Panis , & Vini symbolis Sacrificium Deo Patri offerat*) Quum igitur Christus Sacerdos sit in *æternum* secundum Ordinem Melchisedech , necesse est , quod in *æternum* etiam Sacerdotio fungatur suo ; & re ipsa , & actione in æternum , videlicet ad finem usque Sæculorum , Sacrificium offerat in pane , & in vino . (*Quod cum in Cœlis fieri nequeat, restat, ut semper id gerat in terris*) Aliunde vero quum in Cœlo sub his visibilibus , sensilibusque rerum creatarum Symbolis oblatio fieri nequeat , fatendum itidem omnino est , incruentum in pane , & vino jugiter in terris continuari debere Sacrificium usque ad finem , in quo Sacrificio præsens Ipse sit Summus , & principalis Sacerdos , ipse sit hostia : (*Hoc agit Ipse ; qua principalis Sacerdos per Sacerdotes novæ Legis*) Quam quidem oblationem sapientissimus , & multum misericors Redemptor noster per Apostolos , quos in Cœna novissima Sacerdotes novæ legis constituit , eorumque in Sacerdotio Suc-

cessores quotidie fieri voluit, jussitque dicens „ Hoc facite in meam commemorationem „ . Ut igitur adimpleantur Scripturæ Prophetarum, & adveniente veritate ea fiant, quæ in typo, & figura pridem fuerant adumbrata, debuit Sacrificium in pane, & vino, hoc est modo incruento, verificari, quo cruentum illud ipsum Crucis Sacrificium semper, & indeficienter instauraretur, essetque illius continuatio perpetua: Hæc autem continuatio Missæ Sacrificio perficitur, in quo sub panis, & vini speciebus Crucis oblatio celebratur: „ Unum itaque (ut Catechismus Conc. Tri-
„ dentini doctissime ratiocinatur, & tradit Par. II. De
„ Sacram. Euchar. 76. seqq.), & idem Sacrificium esse fa-
„ temur, & haberi debet, quod in Missa peragitur, &
„ quod in Cruce oblatum est: quemadmodum una est, &
„ eadem Hostia, Christus videlicet Dominus Noster, qui
„ seipsum in Ara Crucis semel tantummodo cruentum im-
„ molavit. Neque enim cruenta, & incruenta Hostia, duæ
„ sunt Hostiæ, sed una tantum; cujus Sacrificium, post-
„ quam Dominus ita præcepit „ Hoc facite in meam com-
„ memorationem „ (Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 14.) in Eucha-
„ ristia quotidie instauratur. (num. 77.) Sed unus etiam,
„ atque idem Sacerdos est Christus Dominus. Nam mini-
„ stri, qui Sacrificium faciunt, non suam, sed Christi
„ personam suscipiunt, cum ejus Corpus, & sanguinem
„ conficiunt. Id quod & ipsius Consecrationis verbis osten-
„ ditur. Neque enim Sacerdos inquit „ Hoc est Corpus
„ Christi „, sed „ Hoc est Corpus meum „; personam vi-
„ delicet Christi Domini gerens, panis, & vini substan-
„ tiam in veram ejus Corporis, & Sanguinis substantiam
„ convertit. (num. 78.) Quæ cum ita sint, sine ulla du-
„ bitatione docendum est id, quod etiam S. Synodus expli-
„ cavit, sacrosanctum Missæ Sacrificium esse non solum
„ laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemora-
„ tionem Sacrificii, quod in Cruce factum est; sed vere
„ etiam propitiatorium Sacrificium, quo Deus nobis placa-
„ tus, & propitius redditur. Quare si puro corde, accen-
„ sa fide, & intimo scelerum nostrorum dolore affecti hanc
„ sacratissimam Hostiam immolemus, & offeramus, du-
„ bitandum non est, quin misericordiam a Domino conse-

„ cuturi simus, & gratiam in auxilio opportuno. Hujus „ enim Victimæ odore ita delectatur Deus, ut gratiæ, & „ pœnitentiæ donum nobis impertiens peccata condonet. „ Quamobrem, & solemnis est illa Ecclesiæ præcatio „ „ Quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, toties „ opus nostræ redemptionis exercetur „: nimirum uberri- „ mi illi cruentæ Hostiæ fructus per hoc incruentum Sacrifi- „ cium ad nos manant „. Sapientissime absque dubio dixit Catechismus, quod Christus Dominus in Sacrificio Missæ principalis Sacerdos est, quodque Sacerdotes ejus Ministri, in persona ipsius *vere sacrificant; & panis, & vini substantiam in veram ejus Corporis, & Sanguinis substantiam convertunt*. (*Lex Evangelica suum habeat necesse est visibile Sacrificium*) Enim vero necesse omnino est, ut in Lege Evangelica Sacrificium visibile sit, alias namque nec religio esset Christi religio, nec notæ quædam, & symbola reperirentur in Ecclesia Catholica, quibus fideles internoscerentur, cum præsertim „ in nullum nomen religionis seu „ verum, seu falsum „ (ut a S. Augustino traditum est con. Faust. lib. 19. c. 11., & de vera Relig. c. 17.) „ coadunari „ homines possunt, nisi aliquo signorum, vel sacramen- „ torum visibilium consortio colligentur „. (*Hoc Sacrificium est incruenta Liturgia*) Quorum signorum in Ecclesia nostra primum, & præcipuum est incruenta Liturgia, quæ utrumque præstat, ut & Christianæ fidei cultores ab infidelibus distinguat, & ipsos fideles sancto quodam vinculo inter se connectat. Ad hæc, ut diximus; in æternum verum esse oportet, quod Christus Sacerdos sit secundum Ordinem Melchisedech; & in ævum pariter debet Christus sub visibilibus panis, & vini speciebus semetipsum offerre Deo Patri pro nobis; qua de re debet usque in sæculorum finem in Ecclesia continuari Sacrificium Crucis Sacrificio incruento, quod secundum Ordinem Melchisedech in pane, & vino conficitur. (*Quo in Sacrificio oportet sub speciebus panis, & vini vere, realiter, & substantialiter contineri D.N.J.C.*) Atqui, ut hæc omnia peragantur, & vera sint, necesse est, post panis, & vini consecrationem Dominum N. J.C. verum Deum, atque hominem, vere, realiter, ac substantialiter sub speciebus illarum rerum sensibilium contineri;

aliter enim nec Sacrificii incruenti hostia esset eadem, quæ cruenti in Cruce peracti; nec hujus hostiæ consumptio a Sacerdotibus fieret, neque eam fideles participarent, id quod manducatione agitur; nec Christus, qua Sacerdos in æternum secundum Ordinem Melchisedech seipsum vere offerret Patri per ministerium suorum Sacerdotum; neque hujus Actionis ipse esset hostia; nec Crucis Sacrificium prorogaretur; neque Sacrificii Crucis per Sacrificium novæ legis fructus in nos manarent; ideoque gravissima Jesu Christo fieret injuria auferendo ei Sacerdotium in æternum secundum Ordinem Melchisedech, ejusque S. Ecclesia careret Sacrificio; & derogaretur omnino valori Sacrificii Crucis. Nam si Sacrificium, quod tempore gratiæ offertur Deo, tantum in typo esset, in nuda commemoratione Sacrificii Crucis, & in fide offerentis, quemadmodum prætensi-Reformati, eorumque Sodales contra Ecclesiæ Catholicæ usque a principio semper retentam fidem venditarunt, jam Sacrificii novæ legis bona non a valore Holocausti Crucis, illiusque infinita efficacia ad nos fluerent; sed a fide essent offerentis, ab eaque caussam, & esse mutuarentur; quod sacrilegum est asserere, ac impium: (*Secus nec differentia ulla esset inter novæ Legis Sacrificium, & vetera Legis naturæ, legisque Mosaycæ; quod esse nequit*) Insuper, si hoc esset, quod ipsi invenerunt, & comminiscuntur, neque substantialiter in Divina Actione Christus offerretur, nec ipse sub signis, consecratione peracta, realiter contineretur una Sacerdos, & hostia pretiosissima, his positis, quæ ipsi dicunt, nullam differentiam invenire datum esset inter Sacrificium Legis Evangelicæ, & vetustiora naturæ, ac legis Mosaycæ Sacrificia, quæ operabantur per fidem in Christum venturum, sed nihilominus „ infirma, & egena „ elementa „ Paulus ea nuncupavit (Galat. 4.9.) quoniam „ sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis „ (Levit. 16. 15.) „ ut idem Apostolus (Hæbr. 9. 13.); tempus adhuc umbræ, non lucis esset, figura Sacrificii Crucis perseveraret, quod antiquæ illæ adumbravere oblationes; veritas autem expectaretur adhuc, quam Hæbrei præstolantur; dignitas, & efficacia Sacrificii novæ legis non

esset augustior, atque validior vi, ac dignitate antiquorum, unde nec Christus ad perfectum adduxisset gratiam novi Fœderis, nec consummasset sanctificatos. Hæc quantum Sacris Eloquiis adversentur, fidelis quisque videt, & ab Apostolo Gentium prædamnata sunt sapientissimis verbis (Hæbr. 8. 1. seqq.) quæ dum refero ministerium meum, opusque meum honorificabo „ Capitulum autem super ea,
„ quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in Cœlis, Sanctorum
„ minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, &
„ non homo. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: Unde necesse est & nunc
„ habere aliquid quod offerat. Si ergo esset super terram,
„ nec esset Sacerdos: cum essent qui offerrent secundum
„ legem munera, qui exemplari, & umbræ deserviunt
„ cœlestium. Sicut responsum est Moysi cum consummaret tabernaculum: Vide (inquit) omnia facito secundum
„ exemplar, quod tibi ostensum est in monte (Exod. 25. 40.)
(nam revera Christus Jesus Sacerdos Summus secundum Ordinem Melchisedech non est super terram eo modo, quo secundum Ordinem Aaron erant Sacerdotes, qui exemplari, & umbræ deserviebant cœlestium, hoc est novi fœderis).
„ Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto &
„ melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus
„ repromissionibus sancitum est. Nam si illud prius culpa
„ vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super domum Israel, & super domum Juda testamentum novum; (Jerem. 31. 31.) Non
„ secundum testamentum, quod feci Patribus eorum in
„ die, qua apprehendi manum eorum ut educerem illos de
„ terra Ægypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. . . . .
„ Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem
„ antiquatur, & senescit, prope interitum est „. Novum igitur Sacrificium, non sicut priora; non itaque in fide tantum, & typo, sed in re, & veritate: Jure ergo Sanctus Augustinus dixit (lib. 19. con Faust. c. 13.) „ Sacramenta
„ veteris legis sunt ablata, quia impleta, & alia sunt in-

„ stituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora,
„ numero pauciora „; de quibus novæ legis Sacramentis, quorum præcipuum est Sacrificium, ibidem (Cap. 11.) dixerat „ quorum vis inenarrabiliter valet plurimum „. Re huc perducta si æquiores in nos Dissidentes fuissent, cognovissent utique, fidem Catholicæ Ecclesiæ de augustissimo Sacrificio Missæ, nedum nullam irreverentiam, & injuriam afferre Holocausto, quod Christus in Calvariæ monte obtulit, sed e contrario hoc ipsum Holocaustum cumulatissime commendare, ejusque virtuti maximum honorem afferre, præsertim cum ipsa credat, quod in Cœna ultima Ipsemet Dominus incruentum hoc Sacrificium instituerit; & ipsius jussione quotidie jugiter offeratur in Ecclesia, quæ nusquam verborum illorum obliviscitur „ hoc facite in meam commemorationem „. (*Incruenta Liturgia miro modo extollit valorem infinitum Sacrificii Crucis*) Et sane si ipse Christus est, qui ut principalis Sacerdos per ministros suos Sacerdotes seipsum hostiam vivam, sanctam, acceptissimam Deo Patri immolat in Missa: talique pacto a solis ortu ad occasum quotidie pluries ad sæculorum usque finem in mundo per hanc Divinam Actionem modo incruento Sacrificium in Ara Crucis peractum renovatur in recognitionem supremi dominii Dei in omnem Creaturam, pro remissione peccatorum, pro gratiarum actione, ac Divinorum donorum impetratione; hæc omnia fieri, obtinerique non possent, nisi cruentum Crucis holocaustum semel tantum oblatum fuisset perfectissimum, imo infinitæ dignitatis, infinitique valoris. Nullam irrogavit Christus injuriam holocausto, quod in Cruce perficiendum erat, dum „ ingrediens mundum
„ dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi „ (Hæbr. 10. 5.); nec quia „ semper vivens ad interpellandum pro nobis „ (Hæbr. 7. 25.) injuriam affert suis ipsis precibus, quas Patri obtulit super terram, de quibus scriptum est „ Qui in diebus carnis suæ preces, sup-
„ plicationesque ad eum, qui possit illum salvum face-
„ re a morte, cum clamore valido, & lacrymis offe-
„ rens exauditus est pro sua reverentia (Hæbr. 5. 7.).
„ Quæ ergo injuria Sacrificio Crucis per Missæ Sacrificium? (*Prætensi Reformati novo systemate suo fidem Divinam pessundant*) Sed non poterit non mirari quis-

quis animadvertat, quod prætensi-Reformati nihil in oblationem Crucis Christi sese committere authumant, asserentes, ipsum Jesum præsentem esse fidei eorum. Respondeant autem nobis: Aut fides ista, quæ Christum reddit ipsis præsentem verum est Sacrificium; an non? Si veri nominis est Sacrificium, injuriam Jesu Christo (secundum ab eis inventam doctrinam) non parvam facit, ac insuper derogat Crucis Christi Sacrificio: Sin autem; ab Ecclesia igitur auferunt Sacrificium, eamque Societatem esse statuunt religiosam absque ullo Sacrificio, qualem nec inter gentes, ut præmonuimus, datum est reperire. Sane eorum fides Sacrificium vere, ac proprie dici nequit, cum hoc, ut tale sit, omnibus partibus constare debet, quæ requiruntur ad essentiam Sacrificii, quod definitur: Oblatio externa soli Deo facta, qua in testimonium supremi illius dominii a legitimo Ministro res aliqua sensibilis, & permanens (qualis fides non est, quæ a voluntate imperatur, & ab intellectu elicitur, unde interna est, non externa, neque sensibilis, ac etiam amitti potest) ritu mystico consecratur, & immutatur; nempe physice, aut mystice quod in actu fidei nequit verificari.

5. (*Nec Majestati Divinæ injuriam facit; nec meritis Christi quicquam detrahit Sanctorum invocatio, quæ in Ecclesia Catholica servatur*), A Liturgia sacratissima ad invocationem Sanctorum transitum facientes; mandat S. Tridentina Synodus (sess. 25.) „ omnibus Episcopis, & ceteris „ docendi munus, curamque sustinentibus, ut juxta Ca„ tholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ usum, a primævis chri„ stianæ religionis temporibus receptum, Sanctorumque „ Patrum consensionem, & sacrorum Conciliorum decreta „ in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, re„ liquiarum honore, & legitimo imaginum usu fideles „ diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum „ Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo „ offerre; bonum, atque utile esse suppliciter eos invoca„ re; & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Je„ sum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Re„ demptor, & Salvator est, ad eorum orationes, opem, „ auxiliumque confugere: Illos vero qui negant Sanctos,

„ æterna felicitate in Cœlo fruentes, invocandos esse ; aut „ qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare ; vel eo „ rum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem „ esse idolatriam ; vel pugnare cum verbo Dei ; adversari- „ que honori unius mediatoris Dei, & hominum Jesu Chri- „ sti ; vel stultum esse in Cœlo regnantibus voce, vel men- „ te supplicare ; impie sentire „. Ad rem Catechismus ex Decr. ipsiusmet Sac. Concilii (Part. III. de primo Præcept. num. 8.) : „ Quis . . . (ait) adeo demens est, qui edi- „ cente Rege, ne se pro Rege quisquam gerat, aut regio „ cultu, atque honore affici patiatur, continuo putet, nol- „ le Regem, suis ut Magistratibus honos deferatur ? „ Idem dicas de eorum invocatione ; nam nullimode majestatem suam læsam putat Princeps terræ, neque irascitur, si gentes sibi subditæ eorum implorent patrocinium ad gratias, & beneficia ab ipso Principe obtinenda, qui aut ejus majestati proximiores, aut ei sunt cariores ; quin imo intercessorum meritis, & favore ea concedit supplicantibus, quæ nec dare voluisset, neque dedisset. Omnes quidem ea mente sunt, ut censeant, quod subditi honorem, quo Principis Administros observant, Principis ipsius intuitu deferant, itaut, si ex Ministris aliquis gradu cadat, illico cessent ab eo honorando ; Omnes itidem firmissime existimant, nec injuriam, nec offensam Principi fieri ab iis, qui illorum deprecationes quærunt, & nanciscuntur ; & hæc apud omnes nationes, & homines certa persuasio : Scimus præterea, quod placeat Principibus, eos, qui apud se auctoritate, aut gratia valent, hoc nomine ab aliis coli obsequio, & servitiis. Qua igitur ducti ratione Dissidentes possunt S. Ecclesiæ succensere, quæ Bmam Virginem Mariam, Sanctos Angelos, aliosque Sanctos cultu religioso venerandos docet, ac de intercessione Sanctorum ea tenet, quæ mox a Sacro Tridentino Concilio audivimus ? (*Oramus Sanctos, non ut concedant bona nobis ; sed ut intercedant pro nobis ad Deum per D. N. J. C.*). Neque Ecclesia a meritis Christi aliquid decerpit, quia ad orationes Sanctorum per Dominum N. J. C. confugit ; nec Altissimo debitum honorem transfert in Sanctos, quoniam „ quamvis in honorem, „ & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ec-

„ clesia celebrare consueverit; non tamen illis Sacrificium „ offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde „ nec Sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium Petre, „ vel Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, „ eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere „ dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in ter- „ ris „ Sac. Conc. Trid. Sess. 22. Doctr. de Sacrif. Miss. cap. „ 3.: Neque „ eodem modo Deum, & Sanctos ejus implo- „ ramus. Nam precamur Deum, ut ipse vel bona det, vel „ liberet à malis: A Sanctis autem, qui gratiosi sunt apud „ Deum, petimus ut nostri patrocinium suscipiant, ut „ nobis a Deo impetrent ea, quorum indigemus. Hinc „ duas adhibemus precandi formulas, modo differentes: ad „ Deum enim proprie dicimus, Miserere nobis, Audi nos: „ Ad Sanctos: Orate pro nobis. „ (cit. Catech. part. 4. cap. 6.: Quis orandus sit num. 3.); omnes etiam orationes, quæ in Sacra Liturgia recitantur, ad Deum diriguntur, & terminantur per Christum Dominum Nostrum: Neque tandem Sanctis, qui cum Deo regnant in cœlis, immensitatem tribuimus, ac si omnibus in locis præsentes adsint; nec omnium rerum, cordium etiam, ac cogitationum secretissimarum, cognitionem sibi propriam, itaut omnis scientiæ, aut infinitæ sapientiæ Divina eis competant attributa, quoniam si nostras infirmitates videant, ac intelligant necessitates, ea, Deo ipsos luminis sui fulgore illustrante vel per Angelorum ministerium, vel per specialem revelationem, vel in infinita essentia sua, Sanctos scire credimus, & prædicamus, ea ratione, qua Deus dedignatus non est Prophetis suis revelare etiam futura, quæ potissimum infinitæ scientiæ suæ reservata comperiuntur: „ Quo loco „ (addit memoratus Catechismus cit. cap. 6. num. 4., cujus doctrinam libenter proferimus, quoniam Adversarii nostri, negare jure non poterunt, eam doctrinam esse Catholicam legitime traditam, & tradendam ad institutionem fidelium) „ illud maxime cavendum est omnibus, ne quod „ Dei proprium est, cuiquam præterea tribuant: imo vero „ cum ad imaginem Sancti alicujus quis Dominicam oratio- „ nem pronunciat, ita tum sentiat se ab illo petere, ut se- „ cum oret, sibique postulet ea, quæ Dominicæ orationis

„ formula continentur ; & sui denique sit interpres , & de-
„ precator ad Deum . Nam eos hoc fungi officio docuit
„ S. Joannes Apostolus in Apocalypsi „ (Apoc. 8. v. 3.)
(*Quod Altissimo gratissimum est, ut liquet ex sacris Litteris*) .
In Apocalypsi enim legitur (8. v. 3.) „ & alius Angelus ve-
„ nit , & stetit ante Altare habens thuribulum aureum , &
„ data sunt illi incensa multa , ut daret de orationibus San-
„ ctorum omnium super altare aureum , quod est ante thro-
„ num Dei . Et ascendit fumus incensorum de orationibus
„ Sanctorum de manu Angeli coram Deo „ ; & (cap. 5.
v. 8.) „ Quatuor animalia , & vigintiquatuor seniores ce-
„ ciderunt coram Agno , habentes singuli citharas , & phia-
„ les aureas plenas odoramentorum , quæ sunt orationes
„ Sanctorum „ . Si orationes Sanctorum incensa sunt , hoc
est odoris suavissimi , & odoramenta ; si ascendunt coram
Deo , ergo Deo gratissimæ ; si orationes sunt , & Sancti ad
obtinendam pro se ipsis gloriam orationibus non egent ,
ergo pro nobis eas ad Altissimum deferunt ; si cadunt coram
Agno , ergo se Agno inferiores profitentur , & pro nobis
orant apud Deum per Agni immaculati h. e. Domini N. J. C.
merita infinita „ Unus enim Deus , unus & mediator Dei ,
„ & hominum , homo Christus Jesus „ (I. Timot. 2. v. 5.) ,
„ quem „ Advocatum habemus apud Patrem Jesum Chri-
„ stum justum „ (1.Joan. 2. v.1.) . Talis est in Catholica
Ecclesia Sanctorum cultus , talis invocatio , itaut exterior
cultus ejusdem rationis censendus sit , qualis a fide deter-
minatur , nempe cultus inferior cultui debito Deo , & Jesu
Christo Filio ejus . Hunc cultum ab Ecclesiæ cunabulis præ-
stitum fuisse Dei Servis constat ex iis , quæ etiam a prio-
rum sæculorum Patribus rite , religiose , & pie tradita pro-
bant Theologi nostri , ad quos mandamus Dissidentes , con-
tenti pauca adhuc ex præfato Catechismo adducere , qui
(Part. 3. de 1. Præcept. cap. 2. num. 13.) inquit „ (*Super-
vacaneum non est SS. patrocinia implorare*) „ . Quod si dica-
„ tur , ut a nonnullis dicitur , supervacaneum esse Sancto-
„ rum patrocinium , quod Deus sine interprete precibus
„ nostris occurrat : has impiorum voces illud S. Augustini
„ facile convincit , multa Deum non concedere , nisi me-
„ diatoris , ac deprecatoris opera , & officium accesserit

,, (S. August. lib. 2. qu. 149. sup. Exod., & Serm. 1. 4. de ,, S.Steph.). Quod illustribus Abimelech (Genes. 20. v. 7.), ,, & Job Amicorum (Job 42. v. 8.) exemplis confirmatur, ,, quorum peccata nonnisi Abraham, & Job precibus con- ,, donavit. Si vero etiam asseratur, fieri inopia, & imbecil- ,, litate fidei, ut Sanctos internuntios, & patronos adhi- ,, beamus; quid ad illud respondebunt Centurionis exem- ,, plum, qui vel in singulari illo fidei præconio, quod ei ,, Dominus impertivit (Matt. 8. v. 10. seqq.), Seniores ta- ,, men Judæorum ad Salvatorem misit, ut laboranti puero ,, salutem impetrarent? ,, (Luc. 7. v. 3.) (Vid. sup. num. 2. ante med.)

6. (*Quod Sacrarum Imaginum cultus a Catholica Ecclesia præstitus idololatriam sapiat calumnia est, jam ante a Judæis, aliisque hujus furfuris hominibus impicta nobis*). Sanguineum, ac crudele bellum octavo Ecclesiæ sæculo sacris Imaginibus indictum est ab hæreticis Jconomachis. Ad Catholicum dogma sanciendum indicta est VII. Œcumenica Synodus Nicæna II., ad quam celebrandam convenerunt Episcopi 350., Ecclesiæ Romanæ, & Orientalium Sedium Legati una cum Sancto Tharasio Urbis Constantinopolitanæ Patriarcha, selecti etiam Archimandritæ, & Monachi, ut constat ex Ignatio Monacho in vita S. Tharasii, ex antiqui Auctoris Præfat. ad VII. Synodum, aliisque. Actione autem V. habita 4. Non. Octob. an. 787. variis testimoniis comprobatum est, Iconomachos a Judæis, Saracenis, Gentilibus, Samaritis, & Manichæis, ceu aspides a viperis venenum hausisse. Hujuscemodi persecutionem instaurarunt adversus sacras Jconas ultimæ ætatis Dissidentes: Sed quemadmodum tunc Judæi Leonem Isaurum Orientis Imperatorem impulere, ut sanctas Imagines, ac earum cultum, quasi Idololatriæ reliquias aboleret (quemadmodum habent Cedrenus, Zonaras, Constantinus Manasse Græci Historici); ita & nunc de Idololatriæ crimine Catholicam Ecclesiam accusant Neoterici. Videant ipsi, quam cœnosis, venenatisque fontibus admoverint labia sua, & quorum exempla bellum in nos moventes secuti sint, & sequantur. Quæ autem sit Catholica fides nostra definivere Generalia Concilia, nempe laudatum Nicænum II. Act. VII. in hæc verba ,, Sequentes divi-

„ nitus inspiratum SS.Patrum nostrorum magisterium,& Ca-
„ tholicæ traditionem Ecclesiæ (nam SpiritusSancti hanc es-
„ se novimus, qui nimirum in ipsa inhabitat) definimus in
„ omni certitudine, ac diligentia, sicut figuram preciosæ,
„ ac vivificæ Crucis, ita venerabiles, ac SS. imagines pro-
„ ponendas . . . congruenter . . . . tam videlicet Imagi-
„ nem Domini Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi, quam
„ intemeratæ Dominæ N. S. Dei Genetricis, honorabilium-
„ que Angelorum, & omnium Sanctorum simul almorum
„ virorum. Quanto enim frequentius per imaginalem for-
„ mationem videntur, tanto qui has contemplantur, ala-
„ crius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam, &
„ desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adora-
„ tionem tribuendam. Non tamen ad veram latriam, quæ
„ secundum fidem est, quæque solam Divinam naturam de-
„ cet, impertiendam; itaut istis, sicuti figuræ pretiosæ,
„ ac vivificæ Crucis, & SS. Evangeliis, & reliquis sacris
„ monumentis, incensorum, & luminum oblatio ad horum
„ honorem efficiendum exhibeatur, quemadmodum, & an-
„ tiquis piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad
„ primitivum transit, & qui adorat imaginem, adorat in
„ ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet SS. Pa-
„ trum nostrorum doctrina, idest traditio S. Catholicæ Ec-
„ clesiæ, quæ a finibus usque ad fines terræ suscepit Evan-
„ gelium „ (*In sacris Iconibus nullam credimus inesse divinita-*
„ *tem, vel virtutem; sed honorem qui eis exhibetur, referri*
ad prototypa). Et Tridentinum cum hac definitione plenissi-
me concinens, quoniam Catholica fides una est, eademque
semper Sess. 25. „ De invocatione &c. „ docet „ Imagines
„ porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum,
„ in Templis præsertim habendas, & retinendas; eisque
„ debitum honorem, & venerationem impertiendam, non
„ quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus
„ propter quam sint colendæ: vel quod ab eis sit aliquid
„ petendum; vel quod fiducia in imaginibus sit figenda;
„ veluti olim fiebat a gentibus, quæ in Idolis spem suam
„ collocabant; Sed quoniam honos, qui eis exhibetur, re-
„ fertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: itaut per
„ imagines, quas osculamur, & coram quibus caput ape-

„ rimus , & procumbimus, Christnm adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur... Illud vero diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assidue recolendis: tum vero ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ a Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos miracula „ (quorum miraculorum multiplicem numerum, nisi contra communem omnium gentium, omniumque hominum sensum velint Dissidentes historiæ auctoritatem elevare, nusquam negare poterunt, quia a tot, ac tam præclaræ fidei historicis de visu etiam, aut de auditu visus testantibus memoriæ mandata sunt; plurima etiam ab Ecclesia post gravissimum rerum veritatis examen probata) „ & salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam, moresque suos componant; excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam. Siquis autem his decretis contraria docuetit, aut senserit, anathema sit. In has autem sanctas, & salutares observationes, siqui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri S. Synodus vehementer cupit; itaut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi dogmatis occasionem præbentes, statuantur. Quod si aliquando historiæ, & narrationes Sacræ Scripturæ, cum in id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari contigerit; doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit. Omnis porro superstitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, ac Imaginum sacro usu tollatur &c. „: Deinde autem gravissimis præceptis Episcoporum sollicitudinem excitat, ut diligenter circa miracula, reliquiarum, ac imaginum cultum invigilent, ut nihil inordinatum, aut præpostere, & tumultuarie accomodatum; nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, & fiat, cum domum Dei deceat sanctitudo. Quid sanctius, quid sapientius, dilucidius, ab idolatria magis alienum, ac

religiosius; quid etiam rationabilius obsequio nostro? Hæc quæ a memoratis universalibus Conciliis tradita sunt, apprime conformia Divinis litteris comperiuntur. (*Id non idololatriam, quinimo pium esse probant Divinæ paginæ*). Facile siquidem scitu etiam Dissidentibus esse potest, jussisse Deum simulacra Cherubim effici „ Duos quoque Cherubim „ aureos, & productiles facies ex utraque parte Oraculi „ (Exod. 25. v. 18., 3. Reg. 6. v. 23. 24.), insuperque Salomon cælasse Cherubim in parietibus (2. Paralip. 3. v. 7.), itemque locutum fuisse Dominum ad Moysen: „ Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus „ aspexerit eum vivet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, „ & posuit eum pro signo: quem cum percussi aspicerent, „ sanabantur „ (Num, 21. v. 8. 9.): qui aspectus, certe religiosus a Deo præcipiebatur, quoniam per eum miracula sanationum operari promittebat; sed aspectus serpentis *pro signo positi*, ne putarent, cum in eum aspicerent infirmi Hæbrei, divinitatem, virtutemque in ære, & simulacro inesse, sed salutem unice expectarent a Deo per merita, & virtutem venturi Messiæ, cujus typum, & signum serpentis figura præseferebat. Hæc adeo cum fide Catholica de Sacrarum Imaginum veneratione conveniunt, ut Deus ipse, qui novit omnia, ab antiquissimis temporibus, & tam ante adventum in Mundum Filii sui errorem Iconomachorum, eorumque asseclarum per hæc dignatus fuerit prædamnare, Ecclesiæque fidem tum puram, sanctamque declarare, tum validissime confirmare. Insuper, quanta religione, quali veneratione, & diligentia, quot, quantisque ritibus voluerit Deus coli in Tabernaculo Israelitico, & in Hierosolymitano Templo legere est in libris Exodi, Levitici, Numerorum, ac I., & II. Paralipomenon, quamvis hæc omnia umbram haberent futurorum bonorum (Hæbr. 10. v. 1.), & figuræ essent ad significanda mysteria Ecclesiæ Salvatoris Nostri Jesu Christi: Ast tantum abest, quod Idololatriæ fæce sacræ illæ observationes fœdarentur, quod Deus ipse eas jusserit, & etiam declaraverit pluries, oblationes hujusmodi, & sacrificia pro eo tempore fore sibi in odorem suavitatis: nempe quia ad eum referebantur, qui Deus homo pro mundi salute seipsum erat æterno Patri immolaturus:

Non ergo Idolatricus cultus censeri debet illa, quem sacris Imaginibus ad mentem Catholicæ Ecclesiæ præstat Deo populus Christianus, cum ad prototypa referatur. Sed & „ nemo . . . . contra religionem (ait sæpe laudatus Catechismus Par. 3. de Pmo Præcept. c. 2. n. 20. seq.) „ Deique „ legem quidquam committi putet cum SSmæ Trinitatis ali„ qua Persona quibusdam signis exprimitur; quæ tam in „ veteri (Gen. 18. v. 2., Exod. 33. v. 23.), quam in novo „ Testamento (Matt. 3. v. 16.; 17. v. 5.) apparuerunt. Ne„ mo enim tam rudis est, ut illa imagine Divinitatem cre„ dat exprimi: sed illis declarari doceat Pastor proprietates „ aliquas, aut actiones, quæ Deo tribuuntur. Veluti cum „ ex Daniele (Daniel. 7. v. 9.) pingitur antiquus dierum in „ throno sedere, ante quem libri aperti sunt, Dei æterni„ tas, & infinita sapientia significatur, qua omnes homi„ num & cogitationes, & actiones, ut de iis judicium fe„ rat, intuetur. Angelis etiam tum humana species, tum „ aliæ affinguntur, ut intelligant fideles, quam propensi „ sint in humanum genus, & quam parati ad ministeria „ Domini exequenda (Hæbr. 1. v. 14.). Omnes enim admi„ nistratorii spiritus sunt propter eos, qui hæreditatem ca„ piunt salutis. Columbæ vero species, & linguæ tamquam „ ignis, in Evangelio, & Actis Apostolorum (Matt. 3. „ v. 16.; Marci 1. v. 10.; Luc. 3. v. 22.; Joan. 1. v. 32.; Act. „ 2. v. 3.), quas Spiritus Sancti proprietates significent „ multo notius est, quam ut oporteat pluribus verbis expli„ cari „. (*In Ecclesia usque ab initio sacris Imaginibus delatus est cultus*). Denique Christi Ecclesia usque ab initio sacras has Imagines prosecuta est religioso cultu, in quo unanimes semper fuere, & adhuc sunt cum Latinis Græci; qui omnium consensus, cujus non est proferre initia, traditionem Apostolico-Divinam certissime probat; eo vel maxime, quod sæviente persecutione gentilium contra nostros, tribus primis nominis Christiani sæculis fideles (quorum numerosissimæ phalanges pro confessione veræ fidei constantissime, ac forti animo vitam profudere) in Cryptis latentes, ibi coram sacris Imaginibus Divinas celebrabant Synaxes, & quotidie jugiter orabant, solliciti de iis, ut pingerentur, cælarentur in parietibus, in cubiculis, in Aris,

memoriam Dominicæ Crucis, ac in ea Salvatoris Crucifixi piissime recolentes, & Bmæ semper Virginis Mariæ, SS. Angelorum, ceterorumque cum Christo regnant ium Beatorum opem, præcipue ad agones invicte perferendos, implorantes, spe tuti, quod illorum auxilium, & intercessio apud Altissimum pro galea esset, ac scuto inexpugnabili ad gloriosissimas victorias, itaut fides de veneratione sacrarum Iconum a tot Christi Martyribus obsignata sit sanguine proprio; eamq. fidem amplecti debent Dissidentes, qui ad prima sæcula se referunt. Quarum Iconum plurimæ, etiam post seras ætates, scilicet post mille quingentos circiter annos, in alma Urbe Roma defossæ sunt, & eruuntur e visceribus terræ, a Catacumbis, & Martyriis, sculptæ in marmoribus, in vitris, in parietibus, in Altaribus, super Martyrum Cœmeteriis, quod, allatis certissimis monumentis, earumque cælaturis, ostendit Marcus Ant. Boldetti in singulari Opere, cui titulus „ Osservazioni sopra i Cimiterj de SS. Martiri, ed antichi Cristiani di Roma „. Numquid permisit Deus clementissimus Ecclesiam suam ab ipso exordio in maximo errore Idolatriæ versari? Num quid Ecclesia semper a via veritatis erravit, *& justitiæ lumen non luxit ei, & Sol intelligentiæ non est ortus ei?* „, quæ de impiis, non autem de justis est in libro Sapientiæ vox lamentationis, & fletus (Sap. 5. v. 6.) Numquid in adventu Christi, populus, *qui ambulabat in tenebris non vidit lucem magnam, habitantibus in tenebris umbræ mortis, lux non orta est eis* „ quod tamen futurum prædixit Isajas? (Isaj. 9. v. 2.) Numquid ergo Christus gratis mortuus est? Numquid gratis tot Martyres Christum sequentes mortui sunt „ quos a defensione fidei Majorum nulla vis depulit, „ non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non „ palatium, non satellites, non Imperator, non imperium, „ non homines, non dæmones? „ (S. Vicentius Lerinen. Commonit. cap. 7.) Absint sacrilega deliramenta. Hæc autem, quæ dicimus, valent pariter nedum pro cultu Sac. Imaginum, sed etiam pro invocatione Sanctorum, de qua præfati sumus, ac pro veneratione sacrarum Reliquiarum, de qua mox sumus locuturi, atque in universum pro omnibus, quæ Catholica Ecclesia profitetur, ac docet, fidei dogmatibus.

7. (*Semper ab ejus exortu Catholica Ecclesia sacris reliquiis religiosum detulit honorem*) Ac vere semper ab Ecclesiæ Catholicæ principio Sanctorum Reliquiis delatus est religiosus honos, quod probat Sancta Tridentina Synodus damnans contrarios errores, cujus doctrina fidelissima sequentibus verbis tradita legitur, dum Episcopis omnibus mandat, ut fideles diligenter doceant, „ Sanctorum quoque „ Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta cor- „ pore, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spi- „ ritus Sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & „ glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa „ beneficia a Deo hominibus præstantur: itaut affirman- „ tes, Sanctorum Reliquiis venerationem, & honorem non „ deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus „ inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa „ Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino dam- „ nandos esse, prout jampridem eos damnavit; & nunc „ etiam damnat Ecclesia „ (Sess.25. de Invocat. &c.). Hæc Catholica doctrina est; hoc depositum, quod Christus Apostolis tradidit, ac Ipsi, & eorum Successores Parentes nostri a prima ætate indeficienter custodierunt diligentissime, & posteris transmiserunt, Siquidem ab Apostolico ævo fideles in medio camino ardentium persecutionum, & cum periculo vitæ, Martyrum fortissimorum sanguinem, exuvias, aliaque eorum propria religiosis obsequiis exceperunt, servarunt, coluerunt. (*Id probat Epistola Smyrnen. Ecclesiæ ad Ecclesias Ponti de Martyrio S. Polycarpi Sæc.* 2.) Legenda est Epistola Smyrnæorum Ecclesiæ ad Ponti Ecclesias data de Martyrio S. Polycarpi, qui imperantibus Marco Aurelio Vero, & Antonio filio ejus cum Lucio fratre, medio circiter Sæculo Christi secundo, passus est, quam Epistolam Eusebius integram refert (Hist. Eccl. lib. 4. c. 15. ex interpr. Rufini Aquilejen. edit. Basileæ an. 1549.). Smyrnæa nempe Ecclesia fidem nostram expressit ab ipsa tam ante nos retentam hisce verbis „ Sed ille æmulus totius bo- „ ni, & adversarius omnium justorum (diabolus), post- „ quam vidit, quod & pro martyrii gloria, & pro vitæ „ egregiæ virtutibus coronatus est (S. Polycarpus), & per „ mortem præmia immortalitatis indeptus, satis agere cœ-

„ pit, ut reliquias ejus ad sepulturam nostris desiderantibus nemo concederet. Instigabatur autem Nicetas . . . . adire judicem, & petere ab eo, ne humandum concederet Corpus, ne forte, inquit, relinquentes illum, qui Crucifixus est, Christiani hunc colere incipiant: Judæis maxime ista machinantibus „ (adeo pervulgatum erat secundo Christiani nominis sæculo, nostros exuviis SS. Martyrum religiosam venerationem præstare solere, ut & Judæorum, & Gentilium hæc esset fixa sententia) „ . . . . ignorantes miserrimi, quia neque Christum aliquando possumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit: neque alium quemque colere, quoniam verum Deum, & qui solus colendus sit noverimus. Martyres vero tamquam discipulos Domini diligamus, & veneremur, quasi integre fidem Magistro servantes, & Domino, quorum nos quoque in fide, & perseverantia charitatis optamus esse participes. Ubi autem vidit Centurio tam obstinatam Judæorum contentionem, positum in medio ipsum Corpus exussit, & ita nos postmodum ambusta ossa pretiosissimis gemmis chariora, & omni auro probabiliora per ignem facta collegimus, ac (sicut conveniebat) ex more condidimus. Quo in loco etiam nunc, præstante Domino, solemnes agimus, celebresque Conventus, maxime quidem in die passionis ejus. Sed & eorum memorias, qui prius passi fuerant, celebramus, ut sequentium animi ad præcessorum viam exemplis insignibus suscitentur „. Nonne in his Epistolæ Smyrnæorum sensibus Sac. Concilii Tridentini doctrina de invocatione Sanctorum, & Reliquiarum veneratione mille quadringentis circiter ante annis graphice sculpta est? (*S. Tridentina Synodus distinguit cultum Latriæ soli Deo debitum a cultu Iperduliæ, & Duliæ, qui respective exhibetur B.M.V., & Sanctis*) Tridentini, inquam, Concilii, qui dum hæc tradit de Sanctis, utitur semper verbis *colere*, & *venerari*, numquam autem verbum *adorare* usurpat, hoc reservans uni Deo, & vigilanter distinguens latriæ cultum a cultu Iperduliæ, & Duliæ. De quo Calvinus, quem sui sequuntur, impudenter loquebatur inquiens lib. 1. Instit. c. 12. §. 2. „ Quem Sanctis cultum deferunt Papistæ, ni-

„ hil reipsa differre a Deî cultu palam est, promiscue enim „ & Deum, & illos adorant, nisi quod dum urgentur, „ exceptione hac evadunt, Deo se illibatum servare quod „ suum est, quia latriam illi relinquant &c. „. Ast omnium hominum persuasio est, non eumdem, bene vero inferioris gradus esse honorem, qui defertur Principum Administris, eo, quod Principibus ipsis exhibetur, unde nulla Principibus injuria fiat eorum cultu, qui ejus nomine in Palatio sedent, nec isti illis æquentur, & ejusdem dignitatis esse aut censeantur, aut declarentur. Quare ergo differentiam inter latriæ cultum, & cultum iperduliæ, & duliæ cachinnis excipiunt Calvinus, & sui, nisi ex concepta in Ecclesiam Catholicam amaritudine, & in proprio sensu sequendo contra Ecclesiæ sensum animi contumacia? (*Cultum Reliquiis SS. præstitum evincunt: S. Asterius M. Sæc.* 2.) De S. etiam Asterio Martyre, qui sub Valeriano circa annum Domini 157. vitam pro Christo dedit idem Euseb. (memoratæ hist. lib. 7. c. 13.) scripsit: „ Sed inter eos cunctis clarior, & meritis fidei supra ceteros insignis memoratur „ Asterius, vir Romanæ Urbis Senator, patricius, nobilitate, facultatibus, propinquitate etiam regia, & omni „ bonorum fama satis clarus. Qui cum supradicti Martyris „ (S. Marini) extremis interesset exequiis, & capite cæsum Cadaver subjectis humeris, & substrata veste, qua „ induebatur, exciperet, honorem, quem Martyri detulit, „ continuo ipse martyr assequitur „ (*Et Acta Passionis S. Symphoriani Sæc.* 2.) Acta Passion. S. Symphoriani, qui martyrii gloria auctus est anno Christi 180. (apud Ruiuart.) hæc referunt „ Sic S. Symphorianus extra murum ductus a „ Persecutore prostatus est, purpurei Sanguinis sui unda „ perfusus, a religiosis latenter inde sublatus est . . . . „ Delatus ad fontem, qui extra publicum campum est, „ ibique in parva cellula sepultus, semper tamen virtutibus se publicavit; itaut, ipsis quoque gentilibus ob miracula, & sanitatum beneficia stupentibus, in maximo „ honore ea tempestate haberetur „ (*Nec non Acta Passionum SS. Iacobi, & aliorum plurium in Numidia Sæc.* 3.) In Actis Passionum SS. Jacobi, Mariani, & aliorum plurium MM. in Numidia, qui passi sunt paullo post medium Sæc. 3.

(apud Ruinart; & apud Henschen. in Annal. ad diem 30. Aprilis §. XIII. :) legitur: „ His peractis . . . Mater exultans . . . . complectebatur in filii corpore suorum viscerum gloriam, & in ipsa cervicis vulnera frequens osculum *pietas religiosa* figebat „ . Confer quæ supra diximus (num. 7.) dum egimus de Sacris Iconibus repertis in Catacumbis, quas Imagines venerati sunt fideles nostri, & SS. Martyres a diebus usque, in quibus primùm promulgatum est Sanctum Jesu Christi Evangelium. (*Refellitur Dallæus*) Quæ omnia sæculorum secundi, & tertii monumenta, aut nescivit, aut se scire dissimulavit Dallæus (Daille) dum in libro, quem edidit adversus traditionem Latinorum de cultu religioso, insurgit (animose certe, ausuque temerario) in Sanctos Patres quarti Ecclesiæ Sæculi Basilium, Ambrosium &c., ac præcipue Gregorium Nazianzenum, qui ob doctrinæ profunditatem, & claritatem Theologus dictus est, eos accusans, quod in hac parte doctrinam trium præcedentium Sæculorum adulteraverint, atque mutaverint, & per contemptum eos *Reliquiarios* appellans. Verum manifeste ostendit Dallæus, celebris doctrina inter suos, spiritum erroris; nam aut illius prioris ætatis monumenta, quæ attulimus, & alia, quæ afferri possent, ignoravit, & hoc posito prodidit inscitiam suam, & una temeritatem volens esse legis doctor non intelligens neque quæ loqueretur, neque de quibus affirmabat (1. ad Timot. 1. 7.); aut vero novit, & hoc dato, ostendit calumniantis animum contra SS. Patres, & Catholicam Ecclesiam. Sed parum se fuisse versatum in Ecclesiastica historia, aut in arte ratiocinandi demonstavit. Enim vero antiquissimi hostes Evangelii, longe ante Sæculum 4., Gentiles, Judæi calumniabantur, homines mortuos pro diis a Catholicis coli, ut jam ostendimus indubia allata probatione, & testati sunt etiam S. Cyrill. lib. 6. in Julian. ultra med., & lib. 10. ante med., Euseb. Eccl. Hist. lib. 8. c. 6., S. August. con. Faust. lib. 22. c. 4., S. Hieron. con. Vigilan.: Jnsuper & Manichæi, quorum Secta, & hæreses Sæculo 3. erupere, ac late in animarum perniciem propagatæ sunt sæculo 4., cum eis Catholici opponerent quod duos Deos colerent, apud Augustinum lib. 20. con. Faust., Faustus respondit nostris: „ Ver-

„ tistis idola in Martyres, quos votis similibus colitis „. Equidem cum controversia hæc inter Catholicos, & Manichæos ageretur, & postquam Gentiles, et Judæi in nostros urgere jam cœpissent objectum de idololatrica veneratione Sac. Imaginum, & Exuviarum, scribebant 4. Sæculi Patres. Quis autem rationabiliter, & ad metaphysicæ leges credere poterit, voluisse præclarissimos istos, in omni scientiarum genere versatos viros, inducere in Ecclesiam cultum Sacrum, qui antea non esset, & immutare Ecclesiæ ipsius fidem in re, quæ Adversariis sanctæ Religionis caussam præberet evomendi in eam convicia; insuperque obdurationi eorum in hæresibus, aut vanitate gentili? (*Deus ipse innumeris vicibus miraculorum operatione probavit cultum ab Ecclesia Sanctis præstitum*) Sed aliud restat adhuc observandum, pro veneratione, de qua loquimur, invictum pariter argumentum: Nempe miraculorum ostensione Deus ipse de Cœlo innumerabilibus vicibus probavit, ac sibi gratissimum esse declaravit si Sanctorum memorias, imagines, lipsana religioso colantur obsequio: Numquid idololatriæ mendacia, & falsa dogmata potest confirmare Deus; aut ei placere potest idololatrica religio? „ Si non sunt honorandæ „ (ita perstringit Vigilantium, cujus errorem Dissidentes, cum quibus agimus, amplexati sunt, S. Hieron. Epist. ad Ripatium) „ reliquiæ Martyrum, quomodo „ legimus: „ Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus? „ Si ossa eorum polluunt contingentes, quomodo Eliseus mortuus mortuum suscitavit, & dedit vitam (4. Reg. 13. 21.) corpori, quod juxta Vigilantium „ jacebat immundum? „ Numquid coli non debuerunt ossa S. Prophetæ hujus, ad cujus contactum Deus mortuum ad vitam revocavit? An idololatræ dicendi essent, qui pium obsequium reliquiis ipsius Prophetæ præstarent, quorum pietatem miraculo Deus probavit? Quis ergo dicat honorem Deo debitum imminui, aut auferri cultu Reliquiarum Servorum suorum, quum Deus ipse e throno Majestatis suæ se eum acceptum habere toties testatus est? In Actis etiam Apost. legitur (5. v. 14. 15.) „ Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, itaut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent

„ in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, saltem um-
„ bra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur
„ ab infirmitatibus suis „; et (cap. 19. v. 11. 12.) „ Virtu-
„ tesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli:
„ Itaut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus
„ sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis languores,
„ et Spiritus nequam egrediebantur „. Scripturæ Sanctæ fidem præstatis, aut non? Si per umbram Petri pie quæsitam, si per Pauli sudaria, et semicinctia religiose allata operatus est miracula Deus, nonne et ipsorum Apostolorum, aliorumque Sanctorum Corpora colentes Deo placebunt? Si Spiritus nequam ab obsessis egrediebantur; nonne cultus Catholicus dæmonia exagitat, ac ipsis adversus, et de ipsis triumphans comperitur? Non ergo idololatricus est cultus; Christus enim dixit „ quomodo potest Satanas
„ Satanam ejicere? . . . . Et si Satanas consurrexerit in
„ semetipsum, dispertitus est, et non potest stare, sed
„ finem habet „ (Marc. 3. v. 23. seqq.). Sed, et plenæ sunt historiæ ad ultimum critices apicem exactæ narrantes prodigia, atque portenta, quæ Deus ad aspectum, ad tactum sacrarum Reliquiarum patrare dignatus est millies, ac millies. Nonnullos sufficiat nobis indigitare Ecclesiæ Patres (infiniti enim essemus, ac bibliothecas replere cogeremur, si omnes afferre vellemus Scriptores, et scripta de hac re testantia) qui a seipsis visa memoriæ mandarunt, nempe Sanctos Ambrosium Epist. 59. 60., Serm. 91. de S. Agnete, & 92. & 93. de SS. Gervasio, & Protasio; Augustinum lib. 22. de Civit. Dei cap. 8., & Gregorium Nyssen. Orat. in 40. MM.. Patribus istis assensum negare haud poterunt Dissidentes, nisi velint sanctissimos, & apud omnes suæ ætatis, & posteros probatissimos Viros injuria non ferenda spernere, ac contra omnium cujuscumque ætatis, & Nationis communem sensum fidem historiis abjudicare, quod certe maximæ obdurationis indicium esset, & odii veritatis, unde semetipsos damnarent, errorisque, & hæresis convincerent, quemadmodum impiis accidit, de quibus Spiritus Sanctus ait „ traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum „ (Sap. 4. v. 20.). Omittenda non sunt S. Ambrosii verba Serm. 91., in quo de Arianis loquens ait: „ Et quia cele-

„ britatem vestram invidis animis ferre non possunt, causam celebritatis odere, atque amentiæ in tantum produnt, „ ut negent Martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum: Siquidem tanta est „ incredulorum perfidia, ut tolerabilior sit diaboli confessio. Dicebat enim diabolus „ Jesu, Filii Dei vivi, quid „ venisti ante tempus torquere nos? „ Et cum hæc audirent „ Judæi, ipsi tamen Dei Filium denegabant. Et nunc audistis clamantes dæmones, & confitentes Martyribus, „ quod pœnas ferre non possint, & dicentes, quid venistis, ut ante tempus nos tam graviter torqueatis? Et „ Ariani dicunt, non sunt illi Martyres, nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare; cum tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, & beneficia Martyrum „ remediis cæcorum, & absolutorum indiciis declarentur. „ Negant cæcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum &c. „. Consulite S.Gregorium Nyssen. de laud. Magni Theodori, Theodoret. hist. SS. 22. Theophilis appellata c. 21. in Jacob., S.Isidorum Pelusiotam lib.1. Epist.55. data Hieraci, Venantium Fortunatum lib.4. Vit. S.Martini in fin., Paulum Diac. de gest. Longobard. lib.2. c.9., & plures alios. Eadem dicere nobis datum esset de prodigiis, quæ Deus largitus est venerantibus nedum reliquias, verum etiam Sanctorum, & Beatissimæ Virginis Mariæ Iconas, & Crucis vivificæ, ac Jesu Christi Crucifixi Imagines; sed ulterius non progredimur, quoniam millena, & millena præsto sunt Dissidentibus, si ea velint consulere, Ecclesiastica monumenta, quæ de iis fidem faciunt; imo tot sunt, ut ita dicamus, hujus veritatis testes, quot sunt fideles; & signa omnibus patula circa easdem Ven. Effigies, quamvis muta, extollunt voces suas.

XIII. (*Quadragesimalis observatio, ceteraque jejunia ab Ecclesia Catholica non spiritu Montanistico, sed Spiritus S. afflatu præscripta sunt*). Amarissimo in Ecclesiam Catholicam fuisse animo Dallæum ex iis adhuc constat, quæ scripsit lib. 2. de Jejuniis, & Quadragesima, contendens cap.3., eamdem Ecclesiam cum Montanistis in jejuniorum disciplina convenire. Paucis nos expediemus, quum eum refutaverint invicte nostri; aliunde autem per se ipsam se prodat inanitas, & falsitas erroris hujus, Ait ille, Romanos sua

jejunia a Spiritu Sancto, vel per Apostolos, vel certe per suos Pontifices tradita asserere, adeoque necessario servanda, licet in Scripturis minime definita fateantur. (*Ab Apostolis Ecclesiæ tradita esse jejunia testantur SS. Patres*). Ast dicere potius debuerat Dallæus, si veritas ipsi in corde fuisset, quod SS. Ecclesiæ Patres asserant ab Apostolis Ecclesiæ tradita esse jejunia, non autem quod Romani Apostolicam traditionem venditarint; hujus namque traditionis testes sunt S. Hieronymus Epist.54. ad Marcellam, S.Leo M. Serm.6. de Quadrag.; Serm.I. de jejunio Pentec., & alibi pluries (edit. Baller. Tom.I.). Quamvis autem inter Calvinistas nominis celebritate clareret Dallæus parum tamen sese in sacrisLitteris pie pervolvendis versatum ostendit dum ait, in Scripturis minime definita esse jejunia. (*In sacris etiam Litteris de jejuniis sermo est*). Legimus siquidem de Domino N. J. C. „ cum jejunasset quadraginta diebus, & quadra„ ginta noctibus „ (Matt.4. v.2.): Legimus, quod interrogantibus discipulis Joannis „ Quare nos, & Pharisæi jeju„ namus frequenter, discipuli autem tui non jejunant? . . . „ ait illis Jesus: Numquid possunt filii sponsi lugere quam„ diu cum illis est Sponsus? Venient autem dies cum aufe„ retur ab eis Sponsus, & tunc jejunabunt „ (Matt.9. v.14. 15., Luc.5. v.33. seq.), quibus verbis manifeste indixit jejunii legem post sui mortem tempore gratiæ servandam; quamvis dies, & modos ordinandi jejunia definiendos reliquerit Ecclesiæ suæ: Legimus item, statim ab Ascensione ejusdem Domini in Cælum discipulos Christi jejunasse „ ministrantibus autem illis Domino, & jejunantibus . . . „ tunc jejunantes, & orantes „ (Act.13. v. 2. 3.). Sed ex Apostolica traditione S. Leo M. laudato Serm. I. de Jejun. Pentec. inquit (cap.1. & 2.) (*Apostoli de Paracleti magisterio jejunavere*). Repletis namque Apostolis virtute promis„ sa, & in corda eorum Spiritu veritatis ingresso, non am„ bigimus inter cetera cælestis Sacramenta doctrinæ, hanc „ spiritualis continentiæ disciplinam de Paracleti magiste„ rio primitus fuisse conceptam: ut sanctificatæ jejunio „ mentes conferendis sibi charismatibus fierent aptiores . . . „ Hi itaque Doctores, qui exemplis, & traditionibus suis „ omnes Ecclesiæ filios imbuerunt, tyrocinium militiæ Chri-

„ stianæ sanctis inchoavere jejuniis „. An Apostolos Spiritus Sanctus Montanistarum erroribus imbuit? (*Item S. Joannes Baptista; Apostolorum discipuli, & primi fideles, qui vixerunt longe ante Montanum*). An Montanista Joannes Baptista, qui „ venit . . . prædicans in deserto Judeæ . . . „ esca autem ejus erat locustæ, & mel sylvestre „ (Matt. 3. v. 1. 4.)? An Montanistæ Apostolorum discipuli, & fideles qui primis etiam Ecclesiæ sæculis vixerunt ante Montanum, quoniam notum est, quod stati jejuniorum dies religiose in Ecclesia observarentur ante æram illius hæresiarchæ? Sane „ jejuniorum utilitatem novi testamenti gratia non removit: & continentiam corpori, atque animæ profuturam, „ pia observatione suscepit „ (S. Leo de Jejun. X. Mens. „ Serm. 4. c. 2.): Nam „ Evangelicis sanctionibus . . . . „ multum auctoritatis præbet doctrina legalis, cum quædam de mandato veteri ad novam observantiam transferuntur, & ex ipsa Ecclesiastica devotione demonstratur, „ quod Dominus J. C. „ non venit legem solvere, sed „ adimplere „; idem Serm. 6. de Jejun. X. Mens. 7. (*Differunt quam longissime inter se mores Montanistarum, Ethnicorumque a moribus Ecclesiæ Catholicæ*). Si jejunabant Montanistæ, si etiam Ethnici aliqui quandoque jejunabant, longe abest ab eorum hæresi, ac superstitione Catholicæ Romanæ Ecclesiæ sanctissima abstinentia; unde quæ de jejuniis judaicis dixit S. Leo (Serm. 4. de Jejun. sept. Mensis) & nos Dallæo intonamus „ Excellit super illorum jejunia „ continentia christiana: & si quid nobis atque illis commune est in temporibus, non concordat in moribus. „ Habeant illi nudipedalia sua . . . . „ (habeant, dicimus nos, gentes superstitiones suas; Montanistæ, mendaces revelationes suas) nos . . . . edendi licentiam simplici par„ citate cohibemus: ut in usu ciborum modus eligatur, „ non creatura damnetur „. Diris data est Montanistarum doctrina de jejuniis eo quod illi sua jejunia, & xerophagias privata auctoritate indicerent, necessaria esse existimarent ad salutem, & latam de illis a Montano legem christianos omnes alligare mentiebantur, utpote a Paracleto per Montanum ipsum præceptam, quod ex pseudo-prophetiæ inanibus somniis, sacrilegisque mendaciis adstruebant. „ Hic

„ (Montanus) est, qui nuptiarum dissidia docuit, qui „ jejuniorum leges imposuit, qui Pepuzam, & Tymium „ Phrigiæ Oppidula Hierusalem nominavit, ut cunctos undique homines eo convocaret (Appollon. antiquus Scriptor Ecclesiæ relat. ab Euseb. Hist. Eccl. lib.5. c.18. vers. Vales). Non vacat autem in hoc argumento longius ire, satis enim omnibus manifesta est Ecclesiæ Sanctæ puritas, quam profunde, ac doctissime adstruit etiam S.Basilius Magnus Ser. I. de Jejun. omnino videndus.

XIV. (*De Cœlibatu Sacerdotum, & Majorum Clericorum Ecclesiæ Latinæ actum est supra*). De Cœlibatus lege imposita a Catholica Ecclesia Latinis Majoribus Clericis, & Sacerdotibus egimus superius cum ad Dissidentes Græcos, Ruthenosque loqueremur (sup. in hac Append. n.3.).

XV. (*Oratio ad Deum*). Quæ omnia cum a nobis quamvis ineleganti stylo, tamen simplici, & sincero animo, validissimis argumentis fuerint asserta, superest, ut Deum humillime oremus, quod impertiri dignetur nobis per misericordiam suam, per merita Domini N. J. C., per intercessionem B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, charitatem illam, virtutes, & spirituales victorias, quas SS. Martyribus Lugdunensis, & Viennensis Ecclesiæ concedere ei placuit, de quibus Euseb. (Histor. Eccles. lib.5. c.3. edit. Basileæ) scripsit: „ Orabant etiam „ pro persecutoribus suis, utentes sermone S.Stephani pri„ mi Martyris dicentes: Domine ne statuas illis hoc pec„ catum. Adversum quos eo vehementiora diabolus prælia „ concitabat, quod per nimiam charitatem, quam habe„ bant in Christo Jesu, etiam eos, qui lapsi fuerant, & „ quos jam se immanis illa bestia absorbuisse crediderat, „ rursum vivos de internis ejus visceribus educebant: & „ velut matres erga parvulos suos, ita erga eos totis pro„ fusi miserationum visceribus inhærebant, Omnipotenti „ Deo effundentes pro ipsis fontes, & flumina lacryma„ rum: vitam petebant eis a Deo, & tribuebant eis, nec „ sibi gratum iter ducebant eundi ad Dominum, vel lætam „ putabant martyrii fore coronam, si partem membrorum „ suorum de Ecclesiis raptam, veluti spolia quædam, de„ tentari a diabolo permisissent; super omnia autem pacem

„ & ipsi diligebant ; & nobis servare mandabant , nec
„ aliam sibi, nisi per pacem , viam ad martyrium con-
„ struebant, caventes , ne ullam post se dissensionem fra-
„ tribus , nec Ecclesiæ Matri mæstitiam derelinquerent ,
„ sed pacem semper habendam , pacem fratribus custo-
„ diendam, & charitatem præcipue tenendam, quæ est
„ unitatis, & concordiæ vinculum , commonebant „ .

Tertiæ huic Appendici finem imponens eam Sacrosanctæ , & individuæ Trinitati Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ac Beatissimæ semper Virgini Mariæ offero quemadmodum in principio obtuli totum Opus , ut eo revertatur labor meus , quo habuit initia ; eumdem Deum humillime , & qua possum animi devotione supplicans, ut suis me donis cumulet, ut mentem illuminet , inflammet affectum , studia mea regat , sibique grata accipiat , & S.Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ reddat utilia , cujus Summo judicio , & censuræ me, & quoscumque labores meos , & scripta mea reverenter, atque ex animo submitto, & cujus in fide , & unitate mori velim , paratus etiam , & cupiens pro Catholica fide, & unitate sanguinem fundere . Supplex oro Divinam Majestatem Tuam , Deus , ut hance, quam mihi inspiras , confirmes, ac in perpetuum conserves voluntatem . Amen .

F I N I S:

ROMÆ MDCCCVII.

Typis Lazzarini Rev. Cam. Apost. Typographi
Superiorum Facultate

ERRATA CORRIGE

Pag.	lin.		
8	38	biblsse	bibisse
14	18	planarie	plenarie
16	11	proprius	propius
	15	propriores	propiores
30	15	con Gen.	con. Gen. lib. 4.
	16	quod unus	quod unum
38	28	illusti	illustri
54	18	sine visibile	sine visibili
62	34	negant	negat
65	28	demonstrant	demostrat
74	14	quæ	qui
81	30	junctos jungere	inunctos inungere
86	8	hæseseos	hæreseos
89	32	jujunii	jejunii